
3 3433 06923993 1

Hein[illegible]

SE

SPECIMEN INAUGURALE

DE

MONTESQUIVIO.

I.

SPECIMINIS INAUGURALIS

DE

MONTESQUIVIO

PARS PRIOR,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

RICHARDI VAN REES,

MATH. MAG. PHIL. NAT. DOCT., MATH. ET PHYS. PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITERARIAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratûs,

SUMMISQUE IN DISCIPLINA PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET HUMANIORUM LITERARUM HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

Janus Heemskerk, Ab. f.

AMSTELODAMENSIS.

AD DIEM XIV MARTII, MDCCCXXXIX, HORA XI.

IN AUDITORIO MAJORI.

AMSTELODAMI,

APUD J. H. ET G. VAN HETEREN.

MDCCCXXXIX.

TYPIS C. A. SPIN.

PARENTIBUS

DILECTISSIMIS

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Permulti, B. Lector! quales nunc sunt mortales, id, prae ceteris, hujus aetatis proprium esse existimant, ut quam celerrime, quaecumque suscepta fuerint, ad finem perducantur, ac vix aliquo labore feliciter perfuncti, ad novos continuò progressûs properent homines. Neque est quod dicamus, eos, qui sic videant, temporum indolis ignaros esse, si ob oculos habeamus opificia cujusvis generis et bonarum artium complures, quae ut egregie excolantur, non tantùm celeriter, sed celeritatis etiam causâ, pleraque fieri solent. At longe secus res sese habet quod ad philosophiam, cùm universam, tùm inprimis moralem, cujus gravissima et summi momenti pars in politicis argumentis versatur.

Ut enim saeculo praec. philosophi, de hominum et civitatum naturâ, desideriis et salute solliciti, nihil magis cordi habere videbantur, quam ut confestim non prius auditas doctrinas conderent, antiqua omnia emendarent, nonnulli, quae prius aevum tulerat, vix adtendenda putabant; ita nunc lento gradu procedere solent, nec si quam viam se invenisse suspicantur, eò festinare audent, quippe multis erroribus

eorum, qui antecessêrunt, edocti. Universe illi, qui de juris, praesertim de politices philosophiâ scribunt, id sibi persuasum habent, nequâquam tutius se progredi posse, quam si, retrò spectato ceterorum tramite, didicerint, a temeritate sibi cavere. Hinc proximum hoc decennium tot eximia tulit opera eo proposito scripta, ut per antiquiora et recentiora saecula indagarentur et vulgares populorum, et excelsiores praestantium virorum sententiae de politicis argumentis, eorumque in res gestas efficacia exponeretur.

E scriptoribus hoc opus aggressis, LERMINIERII, RAUMERI, WEITZELII *nomina vix opus est recenseam, ut sciat unusquisque, quantopere historici illi conspectûs disciplinis politicis profuerint.*

Itaque, quum ante aliquot menses, scribendi materiem quaererem aptam specimini bipertito, quale a tironibus utrumque doctoratum petituris saepius confici solet, quum porro singularibus quibusdam deliciis mihi arrideret jurisprudentiae illa pars, quae in politicis versatur, ejus generis argumentum (historicum puta) mihi sumere constitui. Satis autem latum campum mihi fore putavi, si neque totam alicujus doctrinae historiam, neque etiam integram ejus periodum, scriptione comprehenderem; sed unum tantùmmodo virum in compluribus eximie praestantem, e saeculi ingenio, ex indole ipsi propriâ, e scriptis denique et aequalium judiciis noscere et adumbrare tentarem. Ejusmodi conamina peritorum suffragiis compròbari posse, insigniter ostendit proximis hisce annis opus v. cl. NUMAN, *ad* MACHIAVELLI *librum* del principe, *cujus etiam lectionem stimulo*

mihi fuisse fateor, quominus ab incepto desisterem, licet probe sciam, et elegantiam et doctrinae copiam mihi deficere, ut ejusmodi laudes sperare ausim, neque, quod ad formam adtinet, viri cl. vestigiis insistere licuit ob hujus argumenti rationem.

Ad quod exponendum ubi pervenerim, de MONTESQUIVIO, cùm Historico tùm JCto *acturus, nullus dubito, quin facile credas, B. L.! mihi et utile et jucundum opus fuisse, hoc specimen conficere. Bene enim meruit de omnibus ferme, quae ad politicam prudentiam conferunt*, MONTESQUIVIUS; *de quibus non solùm egregia protulit effata, sed ita protulit, ut legendo nescias, utrum magis docearis, an oblecteris; porro adeo celebratum est Viri nomen, ut subsidiorum abundantia, potius quam inopia mihi esset.*

Vereor autem, ne quis objiciat, sic eligendâ disputandi materie, mihimet quidem consultum fuisse, verùm ita cognitam eam esse et tritam, ut peculiari de MONTESQUIVIO *scriptione nihil utile gratumve lectori contineri possit. Quod judicium ne perlecto hoc qualicumque opusculo feras, B. L.! inprimis optandum arbitror. Reverâ enim ex collatis multis illis, quae de praeclaro hoc philosopho pronunciârunt viri docti, patet, ut de ipsius laboribus judicium feratur, non sufficere, si ejus scripta ex hodiernâ disciplinarum conditione dijudicemus, neque si quaeramus, quaenam ejus effata apud hanc illamve philosophorum sectam, aut hominum in republicâ versantium factionem plurimùm valuerint; sed accuratiori opus esse delineatione aetatis, quâ vixit, et loci, quem inter aequales obtinuit.*

Insignis sane ille locus est, quum ipsius aetate disciplinae politicae, ut ita dicam, e manibus eruditorum, quales tulerat saec. 17um, *transierint ad philosophos saec.* 18i; *uti* MONTESQUIVIUS *neque ab illorum doctrinae vi, neque ab horum sermonis elegantiâ et festivitate alienus fuit. Id autem ipsum effecit, ut recentiores Critici parùm inter se consenserint, utris partibus adnumerandus esset; imò plerique ex eventu judicantes, finem ejus operum eundem esse putârunt, atque Encyclopaedistarum,* ROUSSAVII *aut popularium scriptorum, quos ipsos misere inter se confundunt et male habent nonnulli. Operae igitur pretium esse videtur, denuo de* MONTESQUIVIO *quaerere, ita ut primùm diligenter cognitum habeamus ipsum virum cum scriptis; deinde adtendamus, quò pervenisset, ante hos centum annos, Franciae humanitas, ratione earum disciplinarum, quibus illè studuit; tandem appareat, quid sibi voluerit et quid effecerit strenuis suis laboribus. Haec est opera, quam pro viribus ad finem perducere tentavi.*

Inprimis autem de ejus successu prorsus desperare vetuit et animos auxit comis exhortatio praestantis studiorum moderatoris v. cl. DEN TEX; *qui per omne hoc tempus insigniter de me meruit omnibus illis praestandis, quae quis demum ab humanissimo duce et fautore exspectare possit. Ita cumulum addidisti, vir Clarissime! multis iis in me collatis beneficiis, ex quo jurisprudentiae in hoc Atheneo operam navare inceperim. Scio enim, et Te et aestimatissimum collegam, v. cl.* VAN HALL, *omnia, quae extra me posita essent, contulisse, ut earum disciplinarum,*

quas Vos docentes audivi, peritus evaderem. Id autem, dum lectionibus Vestris aderam, aliquando etiam privatâ consuetudine frui licebat, id, inquam, prae reliquis mirabile accidit, ut discipulos neque doctrinae conditionem et incrementa ignorare sinatis, et assiduò in practicam vitam eorum mentem convertatis. Sic nunquam tristi illâ opinione imbuuntur, quae quorundam scripta legentibus interdum obrepit, ac si juris philosophici aut positivi alia ratio valeret in scholis, alia in vitâ communi foret adhibenda. Grates ex intimo pectore accipiatis, Viri Cl.! quod ego quoque praestantiam hujus institutionis, nec non benevolentiam Vestram toties expertus sim.

Omnibus porro Viris Cl. quorum lectionibus egregiis adesse mihi contigit, grates fundere et felicem in posterùm vitam optare, dulcissimum est officium. Illi enim laevem et jucundam mihi reddidêre bonarum literarum viam. Vos inprimis, Viri Spectatissimi VAN LENNEP *et* VAN KAMPEN, *humanioris scientiae et historiae indagandae amore me incendistis, quum insigni favore in necessitudinem etiam literatam admiseritis, cujus dum lubens recordor, nihil non utile et amoenum in ipsâ apparuisse profiteor.*

Quis autem, Cl. VAN LENNEP! *Tuae humanitatis et in docendo et in amicis monitionibus experimenta viderit, quin dolore afficiatur, quum meminerit, mox fore, ut Te careat haec schola, cui per quadraginta annos summum addidisti splendorem. Utinam diu, licet diversâ prorsus ratione, patriae prodesse possis, validusque et hilaris novâ illâ provinciâ fungâris, quae Te discipulorum desiderio eripuit.*

Vos quoque, Promotores Aestimatissimi! Cl. VAN HEUSDE *et* BIRNBAUM! *per brevius illud tempus, quo Vestram expertus sum benevolentiam, optandos et colendos studiorum patronos esse cognovi. Namque ita de laboribus meis solliciti fuistis, ita grata acciderunt egregia monita Vestra, ut interdum Vestrae Academiae civis et jure et facto mihi esse viderer. Sinceras igitur grates et vota accipiatis, ut sospites diu et viribus valentes Academiae illi decori sitis.*

Denique Commilitonibus carissimis valedicendum, quo quidem officio moestus fungor, et, vel invito, temporis praeterlapsi subit desiderium. Quippe complura gratae consuetudinis, Sodales! inter nos solvuntur vincula, praesertim quod ad eos adtinet, quibuscum unâ juri aut literis operam navabam. At, siquidem cum nonnullis Vestrum vera et stabilis fuerit haec juvenilis amicitia, nec aetate, nec diversâ conditione, nec nimiâ aemulatione unquam ejus immemores erimus.

CONSPECTUS.

PARS ALTERA, eaque *Politica*, habet

CAPUT I.

MONTESQUIVII FATA, SCRIPTA, INDOLES.

§ 1. *Natales et vita.*

Solent ferme omnes, qui viri alicujus de patriâ aut disciplinis merita sibi consideranda sumant, initium ducere a descriptione natalium et vitae cursûs. Nec mihi ab hoc more desciscendum putavi et hoc caput incipere constitui exponendis, quae de MONTESQUIVII vitâ invenire potui, magnâ ex parte saltem, in lexicis biographicis relata. Quae argumenti mei pars brevissima sane erit; nam tota fere in vitâ literatâ versatur viri biographia, neque magna infortunia aut magni momenti res gestae eam insigniunt. Attamen quò plura nota sunt de iis, quae ad viri indolem et opiniones efformandas valuere, eò melius de operibus judicari poterit. Itaque explorandum est, quantum possimus proficere cùm e MONTESQUIVII fatis, tùm ex conditione ejus sociali pernoscendis, ut ingenii ejus natura et progressûs investigentur. Quò imprimis inservire poterunt multa scitu digna, quae hic illic in epistolis ad familiares inveniuntur.

Carolus de Secondat, (*baron*) de la Brède et de Montesquieu, natus 18 Januarii 1689 in antiquo familiae suae castello *Brède* prope Burdigalam. Majores ipsi fuere e nobili gente Aquitaniae (1), quae ad honores satis altos provecta fuerat, ex quo Antonius, Navarrae rex (1561), praemio bellicae virtutis, dominium terrae *Montesquieu*, dederat Joanni de Secondat; cujus filius Jacobus impetravit ab Henrico IV, ut *baroniae* titulo decoraretur.

Hujusce Jacobi progenies, armorum usum relinquens, togatos maluit honores; emtam dignitatem igitur praesidis parlamenti Burdigalensis tenuêre per majorem saeculi 17[i] partem nostri Caroli patruus magnus et patruus (2).

De parentum rebus gestis, deque Montesquivii educatione pauca admodum nota sunt, ex quo biographorum silentio conjicere licet, ipsum non praeclaram quandam academiam invisisse, ad doctrinam muneri, cui destinabatur, necessariam sibi comparandam, verùm domi educatum fuisse; quod confirmat, qui ei semper adhaesit, rusticae vitae amor, et quod saepe familiaribus narraverit, sese per totos dies aliquando cum patre Corpori Juris legendo operam navâsse, fessoque ingenio quietem quaesivisse vesperi scribendis jocosis illis epistolis, quas dein *Persicarum* nomine collectas edidit (3). Porro historiae et physicarum disciplinarum magnum

---

(1) *Biogr. Univ.* v. Montesquieu (v. XXIX). Castellum *Brède*, ubi natus est et diu vixit Montesquivius, dominio tenuerant ejus proavi inde a Caroli VII regno. v. *Lettres fam.* 44. notâ 2.

(2) De Maupertuis, *Éloge de* M. de Montesquieu, (Amstelodami 1756) pag. 5.

(3) *Lettres fam.* 44. n. 8. coll. Ep. 12. Sane, si academicâ eru-

amorem a primâ inde adolescentiâ probavit; imò nec a theologiâ prorsus alienus, vires admodum juvenis exercuit scribendo opusculo, quo demonstraret *paganos non omnes aeterno supplicio necessariò adfectum iri.* Hoc verò nunquam in lucem prodiit. Neque etiam quod posteritati servaretur dignum judicavit aliud juvenile opus, *epitomen* puta *juris civilis scripti*, quam ante 20^mum aetatis annum composuit (1).

Annos natus 25, favente patruo, dignus judicatus est, qui consiliarius in parlamentum Burdigalense reciperetur; cujus curiae, non diu post, amplissimum locum obtinuit (13 Junii 1716) mortuo patruo, qui, cum liberis careret, testamento omnia sua bona ipsi reliquerat (ex his praecipua erat terra *Montesquiviana*), nec non munus Praesidis in parlamento, idque primi ordinis seu *infulati*, qui Francice vocaretur *président à mortier* (2). Paucis mensibus ante socius evaserat academiae Burdigalensis, quod institutum recens musicae poëseosque studiosum ad seria potius studia ducere tentavit MONTESQUIVIUS. Inprimis physicas sociis

ditione caruerit MONTESQUIVIUS, non magna ea habenda est jactura. Quippe et juris civilis studium universe in Franciâ inde a DOMATI tempore vel etiam pridem ab antiquo flore desciverat, et in scholis nonnisi prima elementa rite docebantur, teste D'AGUESSEAU, *Instruction à mon fils sur les études, etc.* (1719) in *Discours et autres ouvrages* (Amst. 1756) II. pag. 239 sqq. Cf. HUGO, *Lehrbuch eines Civilist. Cursus*, VI (ed. 2 Berolini 1818) § 268, 345.

(1) D'ALEMBERT, *Éloge de M. le prés. de* MONTESQUIEU (ante vol. V *Encyclop. des arts et des sc.;* v. I. omnium edd. operum MONTESQUIVII) pag. III.

(2) D'ALEMBERT, pag. IV. Anno 1715 uxorem duxerat JOANNAM DE LARTIGUES (filiam praefecti cohortis) de quâ caeteroqui parum cognitum est. MAUPERTUIS, *Éloge*, pag. 31. Quomodo munera illo aevo ad heredes transierint infra exponendum.

commendabat disciplinas, de quibus saepe praelectiones coram illis habuit; quum plerùmque ei mandaretur de responsis referre ad quaestiones ex his disciplinis ab academiâ propositas (1).

Munus praesidis alacriter et cum laude gessit usque ad annum 1726, quando suscepto consilio magni operis *de Ingenio Legum* conscribendi, putavit se et jucundius, et, quod majoris momenti, utilius victurum fore, si magistratûs curis vacuus omne tempus impenderet ejusmodi labori. Peculiares casûs vitae publicae MONTESQUIVII non memorantur, nisi quod a. 1722 nomine collegii, cui praeerat, remonstraverit contra edictum quoddam PHILIPPI procuratoris, quod actis inscribere jussum fuerat parlamentum. Eo scilicet edicto novum ac onerosum vectigal vino imponebatur. Revocationem edicti impetravit; onus autem, de quo actum fuerat, brevi post, alio nomine provincialibus impositum (2). Medio magistratûs tempore vita MONTESQUIVII literata initium ceperat editis *Epistolis Persicis*, quae ut prelo mandarentur Amstelodami absque auctoris nomine procuravit qui ei ab actis erat, abbas DUVAL (3).

Ipse *introductione* iis praemissâ profitetur absque auctoris nomine edendum esse illud scriptum, quia

---

(1) Hae praelectiones, decem numero, non omnibus editionibus Operum Integrorum junctae inveniuntur. In ed. Parisiensi 1826 v. eas Vol. VI. pag. 165 ad 258. Septima inprimis et octava auctoris proprias opiniones de Capitibus quibusdam philosophiae naturalis continent.

(2) D'ALEMBERT, l. c. MAUPERTUIS, pag. 5.

(3) *Lettres fam.* 2. n. 1. Paulo post Parisiis etiam prodière et tantâ copiâ vendebantur, ut librarii saepe literatos adirent sollicitantes; »Monsieur! faites moi donc des lettres Persanes." *Reflexion sur les lettres P.* pag. 5. (v. V. *Oeuvres Compl.* ed. Par. 1805).

muneris gravitati non convenirent ejusmodi joci; porro fingit se invenisse et, paucis omissis, in Francicum sermonem vertisse, epistolas a Persis quibusdam in Europâ degentibus scriptas (1). Itaque per totum opus, Persae, non Franci, personam sustinere conatur auctor, unde etiam apologiam petiit quorundam, quae de religione Christianâ liberiora protulerat (2); sunt tamen quaedam epistolae, ubi hujus propositi plane oblitus videatur, e. g. Ep. 46 de religione morali. Ipsam hanc scriptionis formam non primus excogitavit, quum antiquiora noscere potuerit opera hodie minus celebrata, *Lettres d'un Siamois* et *l'Espion Turc*, quibus tamen longe praecellunt *Epistolae Persicae*.

Satis notum est, iis contineri jocosa et seria effata de regimine, religione, moribus et disciplinis in Franciâ versus initium regni LUDOVICI XV, intexta fabulae cuidam. Hujus praecipuae personae (USBEC, RICA et RHEDI) Europam peragrant; reliquae, uxores scilicet et eunuchi USBECI domi manentes, gynaecei Asiatici spectaculum praebent. Dolendum quidem est ea, quae huic fabulae insulsa et obscoena insunt, ab eximio scriptore pariter typis mandata fuisse ac sagacissimas Persarum istorum observationes, verùm aequalibus per hujusmodi ineptias eximie placuit; nec parvi eum aestimasse vulgi suffragium, plurimi loci probant in auctoris epistolis ad familiares. Caeterùm in viri meritis literariis diju-

(1) *Introd. aux L. P.* Attamen non omnes latuit; quippe refertur ad *L. F.* 13 n. 3, dictum bibliothecarii cujusdam monasterii (DESMOLETS), qui lecto MSto exclamaverit, »Président, cela sera vendu comme du pain." Is fortasse bibliothecarius est, qui *L. P.* 134 sq. inducitur.

(2) *L. F.* 44. Cf. de Ep. Persicis cl. SCHLOSSER, *Gesch. des 18ten Jahrhunderts* (Heidelberg 1836) v. I. p. 500 sqq.

dicendis, nec minus aetatis, quâ vixit, indole exponendâ, magni fore usûs existimo opus illud juvenile.

Licet autem summâ cum voluptate a popularibus exciperetur et perlegeretur *Epistolarum P.* libellus, principio tamen apud multos MONTESQUIVIO nocuit, quum fama in vulgus proderetur hunc ejus esse auctorem. Quum scilicet (1726) scriptis quibusdam poëticis seu pastoralibus (1) satis celebritatis nactus fuisset, ut designaretur ad locum in academiâ Parisiensi occupandum, qui vacabat obitu literati L. DE SACY, subitò rex declaravit se non passurum esse MONTESQUIVIUM eligi. Interdictionis istius causa haec erat. Postquam munus suum Burdigalae vendidisset, Parisiis aliquantùm commoratus, admissus ibi fuerat ad celebratos illos literatorum conventûs, quibus domi suae excipiendis gaudebant cùm alii, tùm domina DE TENCIN (2), et abbas D'OLIVA: Conspicuus autem tunc erat in hoc coetu abbas quidam DE TOURNEMINE, qui quum injuriâ semper prae caeteris eminere cuperet, nec pateretur quenquam suis sententiis adversari, nemo apertius ostendere solebat, quam MONTESQUIVIUS, se ejusmodi dominationem haud ferre. Aegre hoc ferens ille, compertus quodammodo, quis auctor esset *Epist. Persicarum*, hujus scilicet flagitii reum denunciavit ministro Card. DE FLEURY, hunc exhortatus, ut curaret, ne in Academiam regiam admitteretur qui tale scriptum evulgasset (3); quippe qui religioni Christianae adversaretur et sanctissima quaeque

---

(1) Sunt ea *le Temple de Gnide,* carmen prosâ oratione conscriptum, et fabella, cui titulus *Cephise et l'Amour.* Illud alii deinceps in metricam formam redegêre.

(2) *L. F.* 26. coll. 8.

(3) *L. F.* 38 n. 1; 8 n. 2.

pro ludibrio haberet. Hinc auctoritas regia interposita, ne in collegium cooptaretur MONTESQUIVIUS, nisi a se conscriptas esse *Epistolas P.* infitiaretur. Dissentiunt biographi de modo, quo impetratus tandem fuerit ministri consensus.

Ait D'ALEMBERT, cui adsentitur MAUPERTUIS, noluisse eum negare se esse operis auctorem, sed enixe petisse, ut card. DE FLEURY illud duntaxat legeret, quod quum hic fecisset, nihil mali se in eo invenisse professus fuerit; magis etiam ad lene judicium ferendum motus eo, quod MONTESQUIVIUS dixisset se patriam perpetuò relicturum fore, si talem ferret repulsam. Verùm quia ejusmodi de *Epist. P.* judicium severae, imò rigidae menti illius Cardinalis haud convenire videatur, alii putant VOLTARIO fidem habendam dicenti, plerasque quidem, tanquam suas, agnitas ab auctore epistolas; aliis verò spuriis pronunciatis castigatam editionem fieri curasse, quam ministro obtulerit. Huic autem sententiae quominus acquiescamus, vetat epistola quaedam auctoris (1752), quâ scribit se *juvenilia* quaedam expungere velle in editione *ep. P.*, quae jamjam proditura erat. Unde satis apparere arbitror anno 1728 nondum castigatam extitisse editionem. Verosimilius videtur MONTESQUIVIUM admissionem in academiâ debuisse valido patrocinio marescalci D'ESTRÉES, quem cordi rem habuisse, ne D'ALEMBERT quidem negat; se autem operis, de quo agebatur, auctorem esse, neque fassus est, puto, neque negavit (1).

---

(1) D'ALEMBERT, pag. X, XII. MAUPERTUIS, pag. 6. *L. F.* 44. *Biogr. Univ.* XXIX. pag. 506 sq. Quod ad castigatam *epist. P.* editionem adtinet, dubito an unquam prodierit. Saltem nulla ejusmodi memoratur apud QUÉRARD, *la France littéraire* (Paris 1834) v. VI.

Utut est, die 24 Januarii 1728 locum suum inter XLviros capessivit brevi adlocutione, in quâ hoc maxime admiratione dignum, quod prolixum et adulatione refertum elogium RICHELII, quo hucusque omnes academiae socii orationem suam inauguralem inceperant, evitaverit, paucis, iisque gravissimis verbis argumento illo sese expediens. Simulac aditus ei patuisset in Academiam, designatus fuerat MONTESQUIVIUS, ut LUDOVICI XV historiam scriberet, quo munere, licet honorificentissimum haberet, nunquam functus est (1).

Mox propositum exsequi incepit, quod jam dudum secum agitarat, exteras regiones peragrandi, cùm ut de indole gentium et vero felicitatis gradu, quo pervenissent, certior fieret, tùm, ut ad praestantium quorundam virorum familiaritatem admitteretur. Ejusmodi itinera necessarium tunc etiam habebantur supplementum educationis omnium, qui rebus publicis vacare deberent (2); putavitque MONTESQUIVIUS sibi eodemmodo agendum, quum vitae meliorem partem impendere vellet operi conscribendo, quo aequalibus politicis praecepta daret. Nec levem aut facilem rem bene instituta itinera habuit, uti produnt haec ejus verba: »Multos esse homines, qui equos cursorios conducant, veros autem peregrinantes esse paucissimos" (3).

Quantum fructûs MONTESQUIVII ingenium e peregri-

v. MONTESQUIEU, neque apud BARBIER, *dict. des anonymes et pseudonymes* (Paris 1823) v. II. v. *Lettres Persanes.*

(1) *Discours prononcé à l'acad. Franç.* in *Œ. C.* (1805), VII. pag. 91 sqq.

(2) Cf. PECQUET, *Esprit des Maximes Politiques,* (Amst. 1754 in 4°) pag. 52 sqq.

(3) *L. P.* 12.

nationibus perceperit, melius innotuisset, si propositum suum exsecutioni mandasset acta diurna sua colligendi et typis evulgandi. Ejusmodi scriptum de Germanià et Hungarià fere absolutum amicis monstravit; at editum nunquam est; notulas de Angliâ, quae postea editae, ipse prelo non destinaverat (1). Itaque, cum hunc fontem desideremus, regionum, quas peragravit, brevis hîc sufficiat designatio, nec non illustrium aequalium, quibuscum maxime ibi versatus est.

Parisiis igitur ineunte vere 1728 profectus, comite legato Anglico WALDGRAVE, Vindobonam processit, ubi inprimis in familiaritatem admissus multùm celebrati principis EUGENII *Sabaudici*, qui ultimam vitae partem ibi in otio literato degebat, necnon principis DE LICHTENSTEIN et praeclari Belgici medici VAN SWIETEN, qui censurae librorum et bibliothecae Imperiali praefectus fuerat a CAROLO VI. Ejusdem medici patrocinio postea debuit A. N. opera sua non collata esse in Indicem reprobatorium bibliopolii Austriaci (2). Haec Vindobonensis aula e Germanicis una erat, ubi bonae literae et artes aliquanti aestimarentur; neque universe MONTESQUIVIO, quippe politam eruditionem magni facienti, reliqua ejus aevi Germania placere potuit, ubi Gratiis parum sacra fierent. Inde etiam de praecipuis Europae regionibus judicium ferens dicere solebat, »Germaniam aptissimam sibi videri, quam peragret quis; Italiam, ubi commoretur; Angliam, ubi medite-

(1) MAUPERTUIS, pag. 7. *L. F.* 56. Fragmenta illa de Angliâ inveniuntur in compluribus edd. inter excerpta illa e MStis posthumis, quae communi nomine *Pensées* vocarunt editores. V. ed. 1827, VI. pag. 320 sqq.

(2) *L. F.* 45. MAUPERTUIS, l. c.

[illegible] [illegible], nec vitam degat [illegible] quae effinxerit, [illegible] et per peregrinationes [illegible]. Magna tamen est momenti [illegible] quam non quam revera fecerit MONTESQUIVIUS, nec [illegible] effectum ea agendi ratio habuerit in ejus sententias [illegible] (1).

[illegible] [illegible] in Italia [illegible] peteret, Hungariam [illegible], cujus populi regimen vivendique ratio quum a reliquis magnopere differrent, peculiarem de eo [illegible] conscripsit, quae cum aliis ejus MStis adhuc servata est in bibliotheca regia Parisiensi. Porro per Illyriam Venetias tetendit, ubi discendi causâ adiit duos inprimis viros, quibus omnia, maxime etiam arcana circa politicum Europae statum, nota erant: JOANNEM LAW, qui minister regius in Franciâ fuerat, et marchionem DE BONNEVAL, exercitûs tunc Austriaci ducem, qui licet desultor partium et perjurus dici meruisset, magnis tamen ingenii dotibus, fortitudine et fortunâ admirationem ubique excitârat (2).

At in hominibus adeo omnium judicio reprobatis amicos aut ne familiares quidem sibi quaesivit MONTESQUIVIUS. Tales in Italiâ, praesertim Romae et Taurini compertus est, primùm literarum eximios fautores, Cardd. DE POLIGNAC et CORSINI, quorum hic non diu post (1730) Papa electus est (nomine CLEMENS XII), dein doctos quosdam viros, quibuscum frequens literarum commercium majori ex parte nobis servatum est.

---

(1) D'ALEMBERT, pag. XIII. WEITZEL, *Gesch. der Staatswissenschaft*, (Stuttgart u. Tübingen 1832) I. pag. 205.

(2) D'ALEMBERT, pag. XIV sq. Satis cognita sunt fata marchionis DE BONNEVAL, qui e castris Francicis ad Austriaca transfugit, postea etiam ad Turcica, cujus gentis rei bombardicae praefectus anno 1743 obiit. cf. *Biogr. Univ.* in v.

Inter hosce praecipuum locum tenet abbas DI GUASCO, Taurinensis, qui postea saepius a MONTESQUIVIO domi suae hospitio exceptus fuit; inclaruit insuper praemiis aliquot reportatis in Acad. Parisiensi; educandis Austriae Archiducibus JOSEPHO et LEOPOLDO, quorum eruditionem ei mandavit Imperatrix MARIA THERESIA (1753); denique evulgandis Nostri literis ad familiares (1767). Abbates exinde nominandi veniunt complures, qui variis dotibus sese commendarent. Ita doctrinae causâ gratus ipsi fuit CERATI Parmensis; pulcri sensum egregium admiratus in VENUTIO Crotonensi; veritatis amorem eximium in NICOLINIO Florentino. VENUTIO debuit ut cooptaretur in academiâ Crotonae constitutâ; eidem, ut grati animi testimonium daret, introitum impetravit (1739) in acad. Burdigalensem (1).

Postquam denique in Italiâ ex animi sententiâ *commoratus esset*, Angliam petiit; invisis obiter Helvetiâ, Palatinatu Rhenano et Belgio Foederato. Verùm summi momenti, quod ad reliquam vitam et scripta MONTESQUIVII fuêre duo illi anni, per quos in Angliâ *meditari* potuit. Constitutionis Anglicae accuratam cognitionem sibi comparare praesertim studuit. Caeterùm honorifice et comiter, quantùm ferrent Anglici mores, exceptus fuit a compluribus praeclaris et nobilibus viris; quorum plerique lubenter adhaeserant novae philosophiae, quae initio saeculi 18[i] e scholâ Lockianâ extiterat. Inprimis ex his recensendi, uterque minister WALPOLE (HORATIUS et ROBERTUS), nobilis CHESTERFIELD; porro quondam

---

(1) *L. F.* 1. n. 1; 3 et notâ; 4. n. 1; 7. n. 1; 11; 15. n. 1; 17, 20, 23 et notâ; 43, 40, 53 praecipua continent de MONTESQUIVII amicis. De Card. CORSINIO cf. *Biogr. Univ.* XXIX. pag. 507 et ad v. CLEMENT XII.

minister BOLINGBROKE, nec non poëtae horum omnium patrocinio gaudentes, POPE et SWIFT. Dein cum Edinburgensi professore (FORTHIS) multum confabulatus fuisse legitur, potissimum de educatione publicâ.

Processit e longâ commoratione in Angliâ, cùm apud MONTESQUIVIUM magnus amor hujus regionis institutorum, tùm quod mutuâ admiratione ipsius ingenii progressûs prosecuti sint Angli. Ita Anglica quaedam femina, audiens quosdam in Franciâ MONTESQUIVIUM calumniatos, exclamavit; »Quidni hîc scripsit, statua ipsi fuisset erecta."

Porro infra apparebit ejus adversarios occasionem inde sumsisse, ipsum *religionis naturalis sectatorem* nuncupandi, cui assertioni ex illorum hominum sententiâ maximum inesset opprobrium (1).

Tandem (1732) nihil amplius MONTESQUIVIUM impediit, quominus *vitam degeret* in patrio solo, quò redux, nunquam illud denuo reliquit, quamvis tribus circiter ante mortem annis, magna ipsum ceperit cupido visendi iterum Taurinenses suos amicos; causa latet cur a consilio illo destiterit (2).

Tempus, ex quo domum redierat, partim Parisiis partim in avito castello terebat. Illic excipiebatur magnoque afficiebatur honore in coetibus, qui tunc summopere florebant, literatorum, ex quibus nonnullos jam pridem frequentârat. Celebres inprimis tunc erant illi, qui convenire solerent apud dominas DE TENCIN, DU DEFFANT, baronem Germanicum VON HOLBACH. Hujus

(1) *L. F.* 33, 35. D'ALEMBERT, pag. XVI. WEITZEL, op. cit. I. pag. 219. *Défense de l'Esprit des Lois,* p. I. chap. 2. obj. 5. *Suite de la déf. de l'E. d. L.* pag. 143.

(2) *L. F.* 39.

tamen societatem, quippe ob mores liberiores, et audacia religioni contraria placita famosam, parum invisit; in reliquis fruitus est familiaritate praestantissimi ingenii virorum (1). Ab aulâ verò regiâ eum semovebat vita privata munere vacua; neque inde favorem quaesivit, uti patet ex consilio quod in Epist. amico DI GUASCO dat, ne (ad literas quasdam commeatûs impetrandas) alium adeat, nisi provinciae praefectum; hunc enim aliosque honoribus ornatos a potentibus plus impetrare posse, quam se (*expraesidem*). — Idem hic abbas saepe et diu eum comitatus est in Castellum, ubi vitam jucundissime degebat, adeo ut (1746) regi FRIDERICO II scriberet, se nil habere, quod ab hoc mundo sibi petat, nisi *ut semper eodem modo in axe rotetur* (2).

Praecipua ibi MONTESQUIVII negotia erant liberorum educationi et agris colendis prospicere. Quod ad liberos adtinet, filium unicum magistratui, quo ipse functus erat, destinârat, hic verò maluit privatus vivere; filiarum una initio a. 1755 nupsit cognato DE SECONDAT Aginensi. Agri et colles castello Brède adjuncti, late sese extendebant; magna eorum pars vini ferax, quod optimum reditum domino dabat; nec solis vini mercatoribus Burdigalae vendebat; verùm etiam in Angliam mittebat divitibus amicis, ita mercatoris simul et agrorum possessoris partes agens. Reliqua pars fundorum constabat 1100 jugeribus incultis ericeti, quibus colendis maxime studuit MONTESQUIVIUS, saepe cum abbate

---

(1) *L. F.* 6, 26. SCHLOSSER, I. pag. 530 sqq. Parisiis habitabat in *viâ S. Dominici,* ubi item degebat domina DU DEFFANT. *L. F.* 5. LE BRUN, *Manuel du Voyageur dans Paris,* pag. 51.

(2) MAUPERTUIS, pag. 26—28. Scripsit haec in epistolâ, quâ gratias ageret regi quod ipsum cooptasset in academiâ Berolinensi nuper conditâ.

DI GUÀSCO, aliisque quaestiones agitans de oeconomià rurali. Majorem eorum partem in fertiles trifolii agros et nemora mutare valuit, quâ re multis rusticis profuit (1). Placidum ejusmodi otium, ruris operibus variatum, non interruptum, ad aliam prorsus cogitandi rationem MONTESQUIVII animum ducere debuit ac philophos illos ejusdem aetatis, qui fere numquam Parisiorum turbosam et inquietam multitudinem relinquerent; multi etiam re angustâ domi premerentur (2).

Magnos autem fructûs literarios illud otium protulit, quippe continuò fere ab a. 1731 ad 1748 conscribendo, emendando Operi *de Ingenio Legum* intentus fuit. Bis tantùm hunc laborem per aliquod tempus cessavit, ut alia scripta mentione digna conficeret; alterum *de splendore et interitu reip. Romanae*, quo de historicis disciplinis quantum meruerit, hujus spec. cap. II adumbrandum veniet; alterum *de regno* LUDOVICI XI. Hocce (1739 sq.) elaboraverat et idoneum reddiderat, ut prelo mandaretur, quando deplorabili casu oleum et operam perdidit. Quum enim is, qui ipsi erat ab actis, totum opus descripsisset, jussit auctor adversaria igni committere, at somno victus alter ipsum apographum cremavit, quod nondum compertus auctor, mane cubiculum intraverit ibique viderit jacentia adhuc adversaria, praemature haec quoque delevit (3). Fassus est sibi tunc defuisse animos denuo instaurandi, quod ita perierat, sed novo ardore ad magnum opus rediit, cujus cum circiter 29 libros absolvisset (fine

(1) *L. F.* 7, 10, 13 n. 1; 26, 41, 42, 49 n. 6; 54, 60 n. 2.

(2) Cf. NISARD, *Hist. de la litérature Française* (Paris 1837) pag. 168.

(3) *L. F.* 24. n. 2.

1745) coepit identidem partes saltem ejus praelegere amicis quibusdam, domi praesidis parlamenti BARBOT, (cui munus suum vendiderat Noster) in quam societatem admittebantur GUASCO, VENUTIUS, alii, inter quos eminebat comitissa DE PONTAC, cujus judicii acumen magni faciebat.

Cujuscumque animadversionibus lubenter auscultabat MONTESQUIVIUS, plerumque siquid carpebatur, siquidem minutus esset error, continuò emendabat. Non verò ita facile acquievit HELVETII judicio, cui MStum fere omnibus numeris absolutum communicavit. Hic enim fassus erat universi operis consilium sibi displicere; at nihil ex ejus sententiâ mutatum. Denique suscepto consilio quaedam subjungendi de juris Francici civilis, publici et feudalis primordiis (hyeme 1746–47) maximam partem libri 28 et duos ultimos operis libros composuit, idque tantâ mentis intentione, ut familiari scriberet; intra semestre tanti laboris sibi canuisse capillos.

Tandem (1747) opus primùm abbati DI GUASCO mandavit, ut prelo in Helvetiae hâc illâve urbe committeret; dein verò consilio mutato, Genevensi legatò in patriam redituro (DE SARASIN) mandavit; ibique prima editio prodiit a. 1748, II Voll. in 4° apud bibliopolam BARILLOT; typis revisis a professore VERNET (1).

Sic illud, quo vitam suam inclytam et utilem reddere voluit, perfecerat; neque multa magni momenti

(1) *Epist.* HELVETII ad MONTESQ. et ad SAURINUM, ed. ad calcem operis, in ed. 1826 v. V; item responsum MONTESQUIVII ib. VI. pag. 526. — MAUPERTUIS, pag. 9. *L. F.* 9, 11. n. 2; 16, 17, 22. n. 1; 26. Causa latet cur anonyma prodierit haec editio. Mox aliae secutae, quarum numerus medio a. 1750 ad 22 creverat. *Biogr. Univ.* XXIX. pag. 508.

(quod ad literas) amplius praestitit, quò multum sane contulit oculorum obscuratio, quorum alter cataractâ tectus lumine prorsus careret; ita ut filia saepius pro ipso lectricis partibus fungi debuerit. Serenus tamen et hilaris semper ei fuit vultus (1). Parvum quoque ab otio tempus detraxit, ut responderet crebris Operis censuris, quippe quâ de re nil conscripserit, nisi parvam disputationem cui titulus: *Défense de l'Esprit des Lois.*

Quanta operis ejus fama per Europam evulgata sit, inter excelsiores etiam hominum ordines, arguit familiaritas potentium virorum, quâ per ultimos vitae annos usus fuisse legitur. Ex his recensendi; CAROLUS EDUARDUS STUART, infelix ille et magnae spei princeps, qui (1748) ei misit *Manifestum* suum, adjungens; literatorum esse sibi invicem sua opera muneri mittere; remotior paululum dux Sabaudiae VICTOR AMADEUS, qui scripsit se legendo opere *de Ing. Legum* satiari non posse; item rex Poloniae STANISLAUS, condito Nanceji academico collegio, cujus ipse esset praeses, socium quam maxime exoptavit MONTESQUIVIUM, qui ei opusculum suum de LYSIMACHO dicavit; tandem regius minister D'AIGUILLON, cujus uxor, quanti fecerit praestantem virum, probe ostendit per ultimum ejus morbum (2).

---

(1) MAUPERTUIS, pag. 31. Vultum illum, postquam diu reluctasset, tandem (1752) depingi passus est a pictore DE LA TOUR. Eodem tempore aere ejus imaginem cudit artifex nomine DASSIER. Cf. D'ALEMBERT, pag. XXXII sq. Pictor ille (*L. F.* 66 n. 2) adfirmabat se nunquam hominem vidisse, cujus vultus frequentius commutaretur pro variis animi affectibus, quique igitur depictu difficilior esset. Imaginem MONTESQUIVII, quam e marmore sculpserat LE MOINE, Itali ejus amici dono obtulêre (1767) academiae Burdigalensi. *L. F.* 65, 67.

(2) MAUPERTUIS, pag. 24. *L. F.* 25, 27, 38, 56, 62, 63, 64, 66.

Senectus MONTESQUIVIO jucunda fuit, nec prorsus caruit ingenii fructibus. Novimus enim ipsum a. 1752 libellum supplicem ad regem ministrosque scripsisse satis prolixum, ne propositum quoddam tunc evulgatum de minuendis cleri *immunitatibus* effectûs sortiretur; porro aestheticam disputationem *de Gustu*, Encyclopaediae destinatam, ultimo vitae anno fere elaboravit. De posthumo quodam MONTESQUIVII opere, fabulâ nempe romanensi (*Arsace et Isménie*) dubitarunt nonnulli utrùm ultimis annis, an verò juventuti adscribenda sit. Videtur omnino ad a. 1754 referenda (1).

Hyemem (1754—55) Parisiis degit, donec versus finem Januarii febris eum ceperit, quae post tredecim dies lethalis fuit. Periculum, in quo versaretur, omnes, qui in cultiori et literatâ societate vivebant, perterruit; Rex quotidie ejus domum mittebat Camerarium, qui de aegroti conditione referret (2).

Imo uxor Ducis AGUILIONENSIS, quum, nescio quo casu, abessent MONTESQUIVII liberi, mercenariis curam tam cari capitis mandare metuens, ipsa per totum fere morbi tempus adstitit et curas adhibuit. Haec quoque feliciter curavit ab ipso repelli fanaticum quemdam Hibernum ex Societate JESU, (nomine ROTH) qui ipsâ absente ad moribundum confessionis causâ admissus, cogere eum vellet, ut cistae complura MSta inedita continentis clavem sibi traderet. Subinde rediens Ducissa fores a Jesuitâ clausos reperit; pulsat, intrare postulat; tum e

---

(1) MAUPERTUIS, pag. 30. D'ALEMBERT, pag. *xliij* sqq. *Conv. Lexicon* in v.

(2) Hoc forsitan alicujus momenti habendum in homine frigido, ut erat LUDOVICUS XV; minoris est, quod audito mortis nuncio exclamârit; »C'était un homme qu'on ne remplacera pas facilement."

lecto auditâ moribundi voce, qui de vi sibi illatâ quaereretur, verum rei conditionem intelligit; ope famulorum aperitur cubiculum; ejectus foribus Jesuita, licet clamitaret, »Sibi nil imputandum; se *Superiorum* jussis paruisse.”

Placide nec magnos dolores passus obiit MONTESQUIVIUS 10 Februarii (1).

Ipsius progenies extincta 27 Julii 1824, mortuo nepote et homonymo, cui NAPOLEON, reverentiâ nominis aviti motus, reditûs baroniae restitui curaverat, quae nationi vindicata fuerat sub *Terroris* regimine.

Quis ordo chronologicus operum fuerit, videre est in tabellâ ad calcem hujus speciminis.

§ 2. MONTESQUIVII *conditio socialis.*

Exterioribus jam, ut ita dicam, lineamentis ductis, interius consideremus quaecumque per illius vitae spatium ad efformandam MONTESQUIVII indolem rationemque cogitandi valuêre. Rei maxime congruum erit, si primo loco accurate describatur conditio, quâ in patriâ suâ gauderet. Vidimus autem supra, MONTESQUIVIUM fuisse *nobilem* et *praesidem parlamenti*. Singula adtendamus.

I. *Nobilis* fuit; quod fortunae beneficium licet his diebus parvi ponderis plerisque videatur, initio saeculi praec. tantilli neque aestimari solebat neque erat aestimandum. Depressa quidem fuerat superbia illa nobilium Francicorum, qui in terris suis jura summi imperii exercere, et jure communi exemti esse volebant

(1) V. omnes biographi extr. *L. F.* 66 n. 2.

olim; sed idem illud LUDOVICI XIV regnum, quod adeo valuerat ad omnia vestigia πολυκοιρανίης in Franciâ eruenda, servârat et stabilierat magnam diversitatem inter jura nobilium et ignobilium (*roturiers*). Ita bona feudalia, inprimis *baroniae*, (qualem habebat MONTESQUIVIUS, quaeque ipsi nomen dedit) teneri libere non poterant, nisi a nobilibus; quum ignobilis, qui ejusmodi bona emendo sibi compararet, fisco solvere deberet pretii certam quotam quae in nonnullis provinciis erat octenorum solidorum, de singulis libris (40 p. c.) (1). Eâdem in causâ hoc durum erat ignobilibus, quod mera assertio viri nobilis, hunc illumve fundum nexu feudali teneri soluisse, probationis loco esset ad jus illud fisco vindicandum (2). Soli porro nobiles terrarum suarum dominium utile alienare poterant, reservato sibi dominio directo et censu annuo (qui contractus *censualis* dicebatur); agros nullo censu oneratos plerùmque premebant *campartio*, id est, fructuum partem jure, quod redimi non poterat, a colonis exigebant (3), (idem jus in vineis dicebatur *complantatio*, idque peculiare ha-

---

(1) MERLIN, *rép.* v. *biens*, § 4; *francfief*, ubi § 1. vulgari opinioni adversatur, ex instituti naturâ feuda ab ignobilibus teneri non posse, quum jam inde a primis expeditionibus cruciatis hoc obtinuerit; at onus, quod dicitur *francfief*, primùm principi debebatur a vavassore, qui terrâ vasalli emtâ, feudum, uti dicebatur, *brevius reddidisset*, quoniam eò minoris fiebat terra; dein edicto (1320) PHILIPPUS V LONGUS extendit eam obligationem ad omnes ignobiles feudorum emtores.

(2) MERLIN, v. *francfief*, § 2.

(3) Idem v. *champart*, § 1. n°. 2 et 3. Aliquando etiam campartii obligatio ex contractu oriebatur absque ullâ dominii directi agnitione, quo casu redimi poterat. Haec campartii species non pertinet ad jura, quae Franci dicunt *droits seigneuriaux*, neque etiam, uti altera, sublata est lege 17 Julii 1793.

bebat, ut, simulac vinum non amplius proferret ager, ad dominum directum rediret); poterant sibi vindicare omnia animalia agris suis nocentia; tandem ubivis rustici per aliquot dies quâvis hebdomade opera diurna seu *angaria* debebant corpore, pecore, vehiculis; nec ubique sub LUDOVICO XV amiserant jus exigendi tributum quoddam a subditis, nec cessârat dominorum jurisdictio primâ saltem instantiâ (1).

Praeter haec beneficia bonis immobilibus nobilium propria; reges cùm e lege, tùm ex consuetudine, eximia iis tribuerant privilegia. Legibus sancita ex his maxime erant, immunitas a censu capitali (*taille*), a praestando servitio militari, ab operibus publicis, quibus rustici et universe ignobiles aliquando onerabantur; jus venationis; admissio, exclusis ignobilibus, ad omnia militaria munera; et in compluribus locis tribunalia diversa ab iis, ad quae villani causas ferebant. Sensim imperante Card. RICHELIO et per LUDOVICI XIV minoritatem, simul ac nobilitas venalis facta, invaluerat, ut munera quoque civilia nonnisi nobilibus tribuerentur, nec unquam fere ab hoc more recessêre LUDOVICI XV ministri. Idem rex adhuc (1760) edicto cavit, ne a solemni consuetudine desisceretur, nonnisi eos ad aulica munera admittendi, qui ab anno inde 1400 nobiles proavos ciere possent; imò ut quis ad regis praesentiam

(1) Idem, v. *cens*, § 2; *rente seigneuriale*, § 1; *complant*, § 1-6; *vigne*, § 5; *corvée; taille seigneuriale; justice seigneuriale*. Servitus tamen personalis nusquam in Franciâ obtinebat exceptis quibusdam tractibus comitatûs Burgundiae, ubi jus mortuae manûs premebat rusticos, eosque maxime terrarum cleri incolas. MERLIN, v. *mainmorte*, § 1 et 2. Sublatum hoc et alia quaedam durissima jura edicto LUDOVICI XVI. Nov. 1779. cf. Idem. v. *meilleur cattel*.

admitteretur, apud peculiarém, cui id commissum erat, officiarium, inspici debebant tabulae ejus genealogicae (1). Horum non tantùm privilegiorum, sed aliorum etiam, quae multò minoris videantur, tenacissima erat nobilitas Francica, uti patet e libello supplici, quem (1716) complures nobiles PHILIPPO AURELIANENSI obtulêre, ne ipsorum juribus nonnullis derogaretur, ex quibus praecipua erant; jus gentis insignia habendi in fronte aedium, in vehiculis, in vestibus famulorum; jus praesidii in conviviis aliisque coetibus; cogendi ignobiles, ut altiorem sibi viam publicam cederent, etc. (2).

Tot beneficia quum ipsis natalibus acquisiissent nobiles, haud mirum erat, eum, quem astra in hunc ordinem admisissent, omnes contemsisse vivendi rationes, quibus ignobiles lucrum sibi compararent; hinc ducenda satis universe recepta opinio, nobilem a dignitate ordinis derogare, quoties mercaturae artive fabrili se dedisset, ita ut rarissime hoc obtineret, licet complures Franciae reges, ac recentissime LUDOVICUS XIV edictis (1701 et 1706) sancivissent, privilegia non amissum iri nobilibus (soli excipiebantur magistratûs judiciales) qui magnae mercaturae, non tabernariae, se adplicuissent (3). Ab ejusmodi praejudicatis opinionibus remotus ipse MONTESQUIVIUS non fuit, quippe qui et civitati prodesse existimârit, si nobiles a mercaturà abstineant; et matrimonia suo tempore Burdigalae satis

---

(1) *Gesch. der Staatsveränderung in Frankreich unter König* LUDWIG XVI (Lipsiae 1827) I. pag. 70, 72, 73, 79, 122. MERLIN, *rép. v. chasse*, § 3; *noblesse*, § 8 n°. 1.

(2) SCHLOSSER, I. pag. 288 sq.

(3) *Gesch. der Staatsv.* I. pag. 71. MERLIN, v. *commerce* art. I. n°. 3.

frequentia inter nobiles juvenes et divites puellas ex Americae Insulis oriundas vehementer improbârit, quia *macularent nobilitatis veros sensus* (1).

Universe cordi ei fuisse nobilitatis privilegia adparebit, et magnam ea habuisse vim in consilia, quae magno Opere conscribendo adtingere cuperet. Attamen in illo ipso quidam loci inveniuntur, ubi nobiles et aulicos contumeliose habet (2). Quod ne mirum accidat, in memoriam revocandum duos eo aevo fuisse ordines nobilium, quorum haec gladium gerebat (*noblesse d'épée*), illa togam (*noblesse de robe*); quod summi momenti discrimen magnae etiam differentiae in vivendi ratione, educandi modo et opinionibus ansam dabat (3). *Togata nobilitas*, quò pertinebat MONTESQUIVIUS, duplicis erat originis; prouti aut gentis cujusdam armis celebratae progenies magistratuum placidiorem vitam elegisset (uti fecerat SECONDATUS nostri proavus), aut homo novus suae familiae splendorem nobilitatis addidisset adipiscendo hoc vel illo munere, quod e RICHELII instituto eam conferret (haec dicta *nova nobilitas*).

Verùm, tempore de quo agimus, ferme evanuerat discrimen inter utriusque originis nobiles togatos, et cùm antiquae gentis soboles, tùm togâ nobilitati filii, vel omnes vel saltem natu majores, magistratum paternum gerere et honori et lucro sibi existimabant. Nec aliter eò perveniebatur, nisi vi pecuniae, cujus saepe ingentes summae ad munera obtinenda solvebantur, quem mo-

---

(1) *E. d. L.* XX. 21 sq. *L. F.* 48. n. 1. cf. VOLTAIRE, *hist. du parlement de Paris*, chap. 77.

(2) V. inter alios locos *E. d. L.* II. 4; III. 5.

(3) *Gesch. der Staatsw.* I. pag. 75.

nem breviter explicare hîc operae pretium esse puto. Postquam scilicet (1467) vetuisset LUDOVICUS XI, ne parlamentorum consiliarii destituerentur, nisi sublato ipso munere; sequentis saeculi anno 16, FRANCISCI I famosus Cancellarius DUPRAT legis verbis obsecutus, omnia ferme judicum officia uno ictu sustulit, ac statim easdem dignitates denuo instauratas plurimùm licitanti vendere coepit, quem morem, quamvis indecorum, ob fisci inopiam nunquam abrogare potuêre Franciae reges, imo extendêrunt (1). Expressis legibus eum sanxit demum HENRICUS IV (1597, et 1604) (2).

Metus hinc oriri possit, ne aureo imbri confidentes, studia ad munus gerendum necessaria negligerent, et parùm obsequerentur legi (qualem tulerant LUDOVICUS XII, et CAROLUS IX edicto Molinensi, art. 9, 10, 11) de solis jurisperitis ad magistratûs admittendis; verùm docuit experientia, siquando querelae de parlamentis et

(1) *Gesch. der Staatsv.* I. pag. 100. VOLTAIRE, *hist. du parl. de Paris*, chap. 16. Ejusdem *dict. Philosophique*, v. *Lois (Esprit des)*. [REIJ] *Maximes de droit public Français* (Amst. 1775) v. 3. p. I. pag. 355 sq. Ab isto FRANCISCI I Cancellario potissimum repeto munerum venalitatem, licet diu antea jam inde a LUDOVICO IX saepius irrepserit ille abusus, sed alterni fere reges edictis suis malo occurrerant. Postquam verò (1516) *omnia* simul officia judiciaria et alia complura vendita fuissent, *semper* venalia habita sunt, quamvis Ordines generales a regibus CAROLO IX et HENRICO III severa adversus istum morem impetrârint edicta. Cf. BERNARDI, *de l'origine et des progrès de la législ. Française*, (Paris 1816) pag. 451. MERLIN, *rép.* v. *office*, no. I.

(2) V. cl. BREWER, *Gesch. der Französischen Gerichtsverfassung*, (Düsseldorf 1835) I. pag. 627 sq. Ante a. 1597 jurare solebant consiliarii parlementorum se nullam pecuniam pro munere dedisse, quae solemnia perjuria sustulit edictum. Altero illo (1604) onus nomine *Paulette* cognitum imponebatur.

curiis ballivatuum motae sint, potius illud vituperio ipsis habitum, quod *nimium* doctrinae positivi juris et legis verbis tribuerent (1). Causa rei haec fuisse videtur, quod judices illi in parlamentis sedentes minus imperanti parere deberent, quam alii officiarii; quod a teneris inde iis inculcaretur collegii, in cujus sinum admittendi essent, reverentia; tandem quod sensu honoris ita excitato, juvenes togam induentes, arduis simul terminis separarentur ab alterâ armis occupatâ juventute nobili. Porro, quominus indignis cederent munera, impediebat fortasse jus regibus salvum, irritam habendi cessionem, licet rarò admodum eo uterentur.

Scilicet distinguebatur muneris substantia (*la finance*) et titulus (*le titre*). Illa aut vario, aut fixo pretio, venditione, donatione, successione transmittebatur et continebat jus petendi a fisco eam summam, quam primus muneris emtor in Cancellarii manûs contulerat. Is autem, cui substantia muneris obtingeret emtione aut cessione, a cedente simul accipiebat *procurationem ad resignandum*, quae Cancellario offerretur. Rex intra 8 dies aut munus confirmabat ei qui acquisiisset, aut jubebat ipsi solvi e fisco, quantum primus emtor pro munere dederat; titulum conferebat alii. Hic indemnem praestabat fiscum. Sin successione transmissa muneris substantia, item poterat alii titulus conferri; 1. si

---

(1) Voltaire, *hist. du parl.* ch. 14, 59. Rariores igitur abusûs notavit poëta de Florian, ubi *Fab.* II. 4 diviti haec tribuit:

»Dans la ville prochaine,
Achetons une charge, et soyons président.
Président! cela vaut la peine;
Je n'ai pas fait mon droit; mais avec mon argent
On m'en dispensera; *puisque cela s'achète.*"

heres prorsus indignus foret; 2. si femina esset aut minor; 3. si neglexisset certam pretii quotam (60-mam aut 100-mam) fisco solvere, quod tributum ab inventore PAULET nomen acceperat.

Sic legibus sancita munerum venalitas Franciae non utique detrimento cessisse videtur; imò si cel. JCtum Séguram audias, utilissima fuit (1).

Utut est, certe coram hominibus, quos inter mox honorificam sedem capessurus erat, ita fuerat institutus MONTESQUIVIUS, ut summum honorem sibi esse opinaretur moribus, doctrinâ, decore dignitatem muneris tueri, quod, licet postea deposuerit, alta tamen vestigia ipsius menti impressit.

Lectu imprimis dignae sunt sententiae ab eo prolatae in oratione, quâ (11 Nov. 1725) parlamenti Burdigalensis sessiones instauravit feriis interruptas. Non veretur illic collegis ob oculos ponere cùm gravissima magistratuum officia, tùm quae vulgo minoris momenti videntur, nempe ut jus non tantùm cuivis aeque dicant, sed ut quam primùm dicant, bonis argumentis adstruant sententias; absit austeritas, quantùm eâ careri possit; absint longae morae; imprimis denique, ut aditu faciles sint erga omnes, commendat collegis, idque eò magis urget, quò saepius ii, quibuscum colloquendum est judici, infelices sint homines. Haud absque in-

(1) Ap. MERLIN, lc. no. 1. V. ib. no. II, Edicta LUDOVICI XIV. Dec. 1665 et Jul. 1669, quibus certas regulas de alienandis muneribus praescripsit. Nec voluit partes contrahentes aut fiscum unquam teneri ultra fixum originarium muneris pretium. Id tamen definire contrahentium libidini reliquit idem rex ed. Dec. 1709, sed priorum legum vim restituit Sept. 1724 LUDOVICUS XV. cf. BREWER, op. cit. I, pag. 631 sq. D'AGUESSEAU, *discours*, II, V et passim.

dignatione tangit morem, qui tunc irrepserat obeundi judices (quod Franci vocant *sollíciter ses juges*); admonet eos porro, ut eandem reverentiam legum morumque, quam in foro vindicare debent, privatim etiam ostendant (1). Ejusmodi sententias quum proderet et pro veris haberet MONTESQUIVIUS, vix ei in mentem venire poterat, se vituperatum iri ab aequalibus philosophis, quod laudibus nonnunquam extulerit nobilitatem togatam, ipsamque adeo munerum venalitatem (2).

Ita de ordine, quò pertinuit A. N. deque modo, quo munus acquiri soleret, satis adparuit; quid in specie munus illud fuerit, quod per decem annos haud inglorie gessit, jam videamus. MONTESQUIVIUS igitur

II. Fuit *Praeses parlamenti infulatus*. Ita nuncupabatur nomine derivato ab insigni infulâ (*mortier*), quâ, nec non muriceâ veste, solemnibus diebus decoraretur. Conferebat quoque ea dignitas Equitis titulum (3).

Verùm majoris momenti quaedam de parlamentis observanda. Constabant ea, quorum numerus in Franciâ ad quindecim creverat, tribus plerùmque cameris, unum collegium efficientibus. Prima, tempore restaurati (per CAROLUM VII) primi seu Parisiensis parlamenti, triginta habebat consiliarios; at saepius mutatus hic numerus; vocabatur haec *Camera magna;* hujusce tantùm praesides infulam gestabant. Al-

(1) *Discours prononcé à la rentrée du parl.* etc. in *O. C.* (1806) VII pag. 75 sqq. 80, 83. cf. NISARD, op. cit. pag. 164.

(2) *E. d. L.* XX. 22; V. 19, question 4. Severe reprehendit VOLTAIRE, *comm. sur quelques principales maximes de l'E. d. L.* chap. 27.

(3) MERLIN, *rép.* v. *président*, § I. *Histoire de la Patrie par D. B.* (Londini 1740) pag. 127.

tera, numero primam superans, dignitate sequior, *inquisitionis* dicebatur (*chambre des enquêtes*); tertia denique causis criminalibus commissa, nonnullis casibus magnae camerae opem invocabat. Suae quodque dioeceseos parlamentum summum erat tribunal, quò provocarent litigantes ab omnibus tribunalibus scabinorum, ballivorum, dominorum nec non mercatoriis (solae excipiebantur curiae rerum fiscalium); nec tantùm de singulis statuebant causis; crebrò mandata dabant curiis inferioribus de processu deque modo judicium ferendi, qualia vocabantur *Arrêts de règlement*. *Jurisprudentia* (uti Franci loquuntur) parlamentorum nota erat ob tenacitatem, quam profitebantur, veterum consuetudinum et solemnium, ita ut novarum rerum cupidos omnimodo arcerent; quamobrem item grassante conversione odium popularium incurrerunt, et lege 7 Sept. 1790 abrogari debuere (1).

Verùm judiciariâ potestate non unice constabat collegiorum illorum auctoritas. Ipsis quoque commissa erat cura *inscribendi* libris eum in finem comparatis (*entériner*, *enrégistrer*) omnia regia edicta, quibus obsequi deberent in causis judicandis, nec non ea, quibus tributa cuique dioecesi imponerentur. Jam olim inde derivârant, optionem sibi esse relictam, an probare, et exsecutioni mandare vellent edicta, necne.

Hoc autem multis litibus et controversiis locum dedit, quarum summa huc redit. Antiquitus suprema jurisdictio *magnis* populi *placitis* (*campis Majis*) erat

(1) Merlin, *rép.* v. *justice*, § 3. *arrêt*, n°. 8. Meijer, *inst. judiciaires*, l. IV. ch. 10 (III. pag. 168 sqq.). Voltaire, *hist. du parl.* ch. 10. *Gesch. der Staatsv.* I. pag. 95 sq., 186.

propria; dum haec non conveniebant, loco eorum habebatur *curia palatii* seu *regia*, ad quam provocabatur ab omnibus comitum *mallis* et judiciis *missorum dominicorum*. Praevalente autem magnorum vasallorum potestate, a splendore suo multum descivit illa curia; donec ei summam jurisdictionem in omnibus provinciis, quae regi parerent (*pays de l'Obéissance-le-Roy*) revindicavit LUDOVICUS IX. Constabat ea Paribus et principibus regiis et dicebatur *parlamentum minus* aut mere *parlamentum*, quia, quod ad rem judiciariam, succederet in locum *placitorum* illorum, quae jam sub CAROLINGIS audiebant etiam *parlamenta majora*. Notabilis autem mutatio hâc in re accidit sub PHILIPPO IV PULCRO, qui complura collegia pro uno constituit, et edicto 23 Martii 1302 in commodum litigantium fixas ipsis sedes et certa sessionum tempora assignavit (1).

Magis etiam ipsa harum curiarum natura mutata est,

---

(1) VOLTAIRE, *hist. du parl.* ch. 1 et 2. Quatuor parlamentis sedes assignavit PHILIPPUS PULCHER, Parisiis, Rotomagi, Augustobonae, Tolosae. Longe junioris originis erat Burdigalense, quippe cui LUDOVICUS XI demum (1462) Aquitaniae jurisdictionem tribuerit. v. Op. cit. Ch. 26. Paulo aliter MEIJER, *inst. jud.* l. IV. ch. 10 (III. p. 152 sqq.), qui edictum memorat (1453), quo jam CAROLUS VII Aquitanis in poenam rebellionis parlamentum proprium adimeret. Hoc autem edictum spectasse videtur curiam ibi olim institutam ab Angliae regibus (Aquitaniam ducali titulo tenentibus), qui anno 1450 eam provinciam reliquerant. Cf. HUME, *hist. of England*, Ch. XX extr. BREWER, *Gesch. der Franz. Gerichtsv.* I. pag. 9 sqq., 82, 93, 176, 177. — Parlamenti Burdigalensis dioecesi continebantur, quae nunc dicuntur, Franciae partimenta complura, puta Garumnae, Agri Syrtici, Loti et Garumnae, Dordoniae, Correziae, Vigennae Superioris integra; Geris et Carentoni Inf. partim.

ex quo (1319) PHILIPPUS V LONGUS, metuens scilicet ne clericos a sancto munere obeundo retineret, hosce judices in parlamentis esse vetuit. Multòque major obtinuit rei conversio, postquam per turbas bellorum civilium et Anglicorum, nobiles illi judices, armis gerendis magis idonei, villanis plerumque ICtis, qui assessores initio fuerant, ipsius muneris gerundi facultatem reliquissent, jure tamen regiis principibus et cunctis Franciae Paribus servato suffragia in parlamentis ferendi; unde quoque evenit, ut humili *consiliariorum* titulo contenti esse debuerint judices (1). Quum tamen reges vellent supremas eas manere curias in dioecesi quamque suâ, intacta quoque ipsis fuêre jura politica, aeque ac si adhuc essent Parium coetûs. Ipsorum igitur deliberationi subjici debebant, quaecumque de singulis dioecesibus edicerentur aut his imponerentur tributa, excepto censu personali (*taille*), cujus reditûs regale habebantur.

Parlamentorum illum consensum, seu (proprio verbo) *homologationem* impetrandam esse, complures reges palam agnovêre. Solebant ad eam rogandam, parlamentis mitti peculiares quidam officiarii, advocatus plerumque et procurator regii (*gens du roi*) qui regis jussa exponerent et commendarent. Unum tamen (13 Apr. 1590) exemplum memoratur ejusmo-

(1) *Gesch. der Staatsv.* I. pag. 92—95. MERLIN, *rép.* v. *justice*, § II. VOLTAIRE, op. cit. ch. 3—6. Cf. *Hist. de la Pairie par D. B.* pag. 95, 111 sqq. Nonnunquam omnes consiliarii aeque dicebantur *praesides;* saepius ii soli, qui reverâ praesiderent. v. *Les Origines, ou l'ancien gouv. de France, d'Allemagne et d'Italie*, etc. (Hagae C. 1789) l. XI. ch. 19. § 13. notâ 2.

di officiarii, qui ab edicto regio homologando dissuaderet (1).

Nec minoris momenti erat jus, quod parlamentis tribuit HENRICUS III art. 207 edicti Blaesiensis prioris (1577), nempe ut in ordinationibus inscribendis pro suae jurisdictionis commodo quaedam mutare possent (2).

Taediosum et ab hoc argumento prorsus alienum videatur omnia edicta regum et parlamentorum sententias referre, quibus per saeculum 16um minueretur aut augeretur eorum potestas, maxime quum per bella civilia precaria fuerint omnia politica jura. Deinde verò quaedam in historiâ occurrunt, quae observari merentur. Illud liquet, anno 1614 et legitimae potestatis fines transgressum esse et regis invidiam sibi meritò contraxisse parlamentum Parisiense, quum suo Marte, principes regios, Pares, clerum, nobiles omnes et municipum delegatos seu *Tres ordines* convocaret (sibi nomen *quarti ordinis* vindicans), ut de regni administratione emendandâ deliberaretur. Quod sibi imminens periculum ut averterent ministri LUDOVICI XIII, tunc potius Regis nomine ordines convocarunt (3).

---

(1) Fuit huic nomen DE LA GUESLE. Postquam parlamento edictum HENRICI IV praelegisset (de sejungendis domaniis regi propriis ab iis quae coronae propriae vocabantur) exposuit legis causas, at ita desiit; »J'empesche pour le Roy l'entérinement de l'édict." *Maximes*, etc. II. p. III. pag. 275. coll. 263.

(2) *Maximes*, II. p. I. pag. 64 sq., 98, 138, 145. MERLIN, *rép. v. enrégistrement de lois*. VOLTAIRE, op. cit. ch. 11. *Gesch. der Staatsv.* I. pag. 104.

(3) *Maximes*, II. p. II, pag. 485. Cf. BERNARDI, *hist. de la législ.* pag. 501. *Mémoires du Comte* DE BRIENNE (Amst. 1719), I. pag. 18.

Frequentissimae exinde sub hoc rege, praesertim gubernante RICHELIO, altercationes cum parlamentis fuere, quorum remonstrationibus importunis reprimendis inservière maxime edicta 1629 et 1641; at parvo cum successu, quippe quae ipsa inscribere recusarent collegia illa, minis etiam additis fore, ut a judicando abstinerent, nisi reverentia servaretur antiquorum jurium. Hinc quoque multos protulit hoc regnum, qui dicuntur, *lectos justitiae*, quo nomine designabantur parlamenti sessiones, quibus rex interesset cum ministris, principibus regiis et paribus, ut parlamenti consiliarii, licet antea inscriptionem negâssent, tantae auctoritati refragari vererentur. Hi tamen tunc etiam saepius suffragii libertatem vindicabant. Proximum tunc regi aderat remedium, curiae locum adsignare, ubi minus commode muneri vacare posset; ultimum tandem, poenas infligere in parum obsequentes (1).

Longe igitur abfuit, quin RICHELIUS sibi devinxerit magistratûs illos, nobilitate ipsorum muneri tribuendâ, quum contra honoris sensum et sui ordinis reverentiam penes ipsos auxerit. Magnam adeo partem regiae auctoritatis sibi vindicare ausi sunt, quamprimùm (1643) tutela regis locum dedisset discordiis inter ANNAM AUSTRIACAM reginam et proceres complures. Jus rejiciendi et emendandi, quae sibi offerrentur, edicta, imo suffragia ferendi de illis, quos in consilium privatum admitteret rex, plene tunc concessit MAZARINUS, quâ opportunitate aulicis dixit, jam ita extollenda esse parlamenta, nec aliter fieri posse, quin abuterentur eâ

(1) *Gesch. der Staatsv.* I. pag. 101 sq. VOLTAIRE, op. cit. ch. 50 sqq. *Maximes*, II. p. II. pag. 386 sqq. p. I. pag. 98 sqq., 279.

lenitate, quamdiu minorennis esset rex LUDOVICUS XIV, hunc verò majori aetate valentem melius sibi consulturum et depressurum eorum collegiorum superbiam. Nec eventus exspectationem fefellit.

Notum enim est omnibus edictis obsequium negasse parlamenta per istius temporis turbas, leges suis dioecesibus pro arbitrio scripsisse; imo aperte fovisse seditionem. Ita proscriptus fuit, tanquam hostis publicus, ipse MAZARINUS a parlamentis, quae Parisiis, Burdigalae, Rotomagi et Aquis Sextiis jus dicebant; ita reginae extortum fuit privilegium, ut nonnisi ipsa parlamenta de suis consiliariis judicare possent; ita tandem celebres illae Parisienses turbae (*les Barricades*, 1648 et 1650) probatae a parlamento (1).

At (1652) vix tutelâ excesserat LUDOVICUS XIV, quum in regiam domum convocavit magistratuum coetum; obsequium plenum in futurum poposcit; eâ demum conditione seditiosis ignovit, exceptis paucis, quos exsilio damnavit. Porro, quum ita rex esse cuperet, ut nemo summi imperii esset particeps, constituit, vi potius armorum cogenda esse parlamenta ad inscribendas ordinationes, quam morem ipsis renitentibus gerendum. Denique (1667) omnem remonstrandi facultatem evanescere pronunciavit, simulac rex in lectum justitiae sese contulisset; per aliud edictum (1673) vetuit quicquam contra regiam voluntatem inferri, nisi jussa prius inscripsissent et promulgâssent (2).

---

(1) *Mém. du* C. DE BRIENNE, II. pag. 173, 224 sq. III. pag. 8 sq. 15 sqq. 33, 38 sqq. 50 sq. 77, 88, 98. *Maximes*, II. p. III. pag. 236. VOLTAIRE, ch. 56.

(2) *Mém. du* C. DE BRIENNE, III. pag. 163, 278 sq. Anno 1664

Paulo fusius de his mutationibus dixi, ut eò magis liqueret, quemadmodum suae dignitatis reverentia et elatio cordi fuerit iis magistratibus; quippe qui, simulac nata obportunitas per LUDOVICI XIV mortem, recuperandi antiqua jura, eodem omnes animo moti, arbitrariis quibusvis ausibus denuo sese opponere coeperint. Adfectûs majorum ita in progeniem transmissi id effecêre, ut, licet tota populi Francici indoles mutata esset per longum illud despoticum regnum, eadem tamen saeculo 18° ratio agendi fuerit parlamentorum, quam secuta fuerant sub LUDOVICO XIII. Ejusmodi conatibus locum dedit jam die 15 Sept. 1715 PHILIPPUS AURELIANENSIS, quum parlamento Parisiensi judicium deferret de rato habendo regis demortui testamento. Quod postquam infirmasset parlamentum, et ipsi, exclusis liberis LUDOVICI XIV legitimatis, regimen dedisset, statim pro abrogato habitum istud anni 1673 edictum et invaluit, ut denuo in suffragia iretur de regiis ordinationibus.

Abesse non poterat, quin mutabile et arbitrarium PHILIPPI regimen integris propositique tenacibus magistratibus vehementer displiceret. Questi jampridem sunt de *cameris ardentibus* ab eo institutis peculatûs puniendi causâ; verùm anno demum 1718 aperta exarsit discordia. Parlamentis tunc oblatum edictum, quo *valor nominalis* nummorum duplicaretur, ut subveniri posset fisci inopiae. Omnia homologationem negâ-

timens ut edicto cuidam, quo Lothariae principes ad Franciae successionem idonei pronunciarentur (siquando deficeret stirps Borbonica), obtemperaret parlamentum Parisiense, rex curiam cingi curavit quatuor armatorum millibus, quod remedium effectu non caruit. Cf. porro *Maximes*, II. p. III. pag. 2 sqq. BERNARDI, op. cit. pag. 506. MEYER, *inst. jud.* l. IV. ch. 13 (III. pag. 226 sq.).

runt; Parisiis lectus justitiae habitus praesente octenni LUDOVICO XV; coacti magistratûs edictum in acta referre. Mox ad PHILIPPUM Procuratorem rediêre querentes de vi conscientiae illatâ (1); hic remonstrationibus non auscultavit, at (*ob rationes statûs*) absque processûs formis Praesidem duosque consiliarios in carcerem conjici jussit; reliqui jus dicere amplius noluêre, sperantes fortasse fore, ut denuo pro ipsis arma caperent, vias clauderent plebs Parisiensis; at nemine auxilium ferente tandem concessêre quod petebatur. Carcere tunc emissi tres illi captivi, et (26 Augusti 1718) ordinatio prodiit, quae parlamentis jus mutandi et interpretandi edicta auferret; porro sanciret, ut remonstratio, sicui locus esset, intra hebdomadem offerretur Regi; quae reverâ abrogatio ejus moris erat, quippe non sufficiente tam brevi temporis spatio viris, qui saepe per dies integros litigantibus audiendis vacarent (2).

Verùm effectu caruit haec ordinatio, ac si nunquam extitisset; quam fortunam simile (1732) edictum et bene multa ejusdem generis experta sunt, donec (1771) ipsum parlamentorum institutum everterit LUDOVICUS XV edicto, quod tanquam opus Cancellarii DE MEAUPEOU notum est.

Anno jam 1720 denuo ordinationum homologatio negata fuit, quarum unâ cogeretur unusquisque munere publico desistens aut demissus, a fisco accipere *actiones* Argentariae Francicae usque ad eam nummorum sum-

(1) Plane similes sunt jurium suorum expositiones, quarum alteram (1645) ANNAE AUSTRIACAE, alteram (1718) PHILIPPO obtulit parlamentum. Utramque vide *Maximes*, II. p. I. pag. 119 sqq.

(2) VOLTAIRE, Op. Cit. ch. 59—61. *Maximes*, II. p. I. pag. 196; p. III. pag. 10, 15 sqq.

mam, quà munus suum emisset, ut ita abrogaretur munerum venalitas. Tunc nova remedia quaesivit PHILIPPUS; curiam scilicet Parisiis Pontesiam relegavit, ubi manere debuisset, donec cederet Principis votis, sed post Argentariae interitum aliâ quâdam concessione impetravit, ut redire liceret (1).

Notatu dignum est, ita sola illa collegia sese obposuisse mediis comparatis ad promovendum periculosum istud LAWII *Systema*, licet clerus, aulici, plebs imperantibus injustum pravisque moribus contaminatum regimen ignoscerent, dumne divitiarum spem amitterent.

Quae dein insecutae sunt lites de auctoritate Regis et parlamentorum, quaeque movebantur de Jesuitarum et Jansenistarum controversiis, ad argumentum hocce non pertinent. Mox aliam ob causam tangendae erunt. Haecce igitur sufficiant, ut rite explicetur, quibus rebus et adolescens et maturi ingenii vir MONTESQUIVIUS maxime intentus fuerit (2); atque hanc eo tempore solam fuisse in Franciâ conditionem, quae libertatis civilis amorem et notionem ipsi dare posset. Quem effectum in ejus Opera habuerit; explicare conabor in alterâ parte hujus speciminis.

---

(1) VOLTAIRE, ch. 63, 65, 69. *L. P.* 92, 140. *Gesch. der Staatsv.* I. pag. 102. SCHLOSSER, op. Cit. II, pag. 168. MARMONTEL, *Hist. de la Régence* (in *Oeuvres* v. XVIII. ed. Brux. 1826) pag. 358 sqq. 425.

(2) Neque alia vestigia secutum esse parlamentum Burdigalense, patet e remonstratione jam memoratâ, quam (1722) ad Procuratorem misit ipse MONTESQUIVIUS. Ob liberiores querelas de quâdam Regis ordinatione exsilio punitum esse ejusdem parlamenti consiliarium dolet *L. F.* 61, quae epistola quando scripta fuerit, latet.

§ 3. *Quaedam de moribus et opinionibus receptis priori saeculi* 18ⁱ *parte in Franciâ.*

Rusticantem jam, et inter optimates Aquitaniae viros, munere fungentem MONTESQUIVIUM vidimus; instat, ut animum advertamus ad ea, quae ipsi, dum Parisiis moraretur, potissimum ob oculos cadere debuêre.

Celebres etiam hodie sunt coetûs illi literarii, quos supra memoravi, ubi omnes ii, qui vulgò *saeculi* 18ⁱ *philosophi* vocantur, convenire solerent (1). Coenae ibi nocturnae assidentes, cui plerumque fèmina ingenii dotibus eminens praesidebat, libere et jocose omnia disciplinarum, politices, philosophiae argumenta tractabant, ingenium acuebant, saepe praelegebant opuscula. Multi adeo scriptores ejus aevi suorum operum consilium ejusmodi coetibus debuêre. Ac, licet argumenta, quae MONTESQUIVIUS tractanda sibi sumeret, non ejusmodi essent, ut ita praelegeret in conviviis opera, cultissima tamen ea societas, quin ad stylum ipsius poliendum contulerit, fieri non potuit. Notiones quoque jampridem susceptae (2) de tollendis abusibus, mutandisque compluribus aevi sui institutis, firmatae et auctae, dum familiaris esset VOLTARIO, HELVETIO, D'ALEMBERTO, caet. Notum est, quanti momenti coenulae illae fuerint, quippe ubi odiosam ordinum distinctionem, abusûs ubique vigentes, stoliditatem eorum qui rebus praeessent publicis, risui haberent philosophi, poëtae, parasiti, ipsi aulici (3).

---

(1) Eximie de iis egit Ducissa D'ABRANTÈS, *Notice sur Madame DE GEOFFRIN* (Paris 1837).

(2) Cf. *L. P.* 19, 37, 77, 86, 102, 103, 129.

(3) MARMONTEL, *Mémoires*, I. pag. 295—314, 421—424. Nonnulli

Id enim maximopere animadverti oportet MONTESQUIVII aetate, dum promulgari inciperent novae de libertate civili deque religione notiones, (quas nunc inde a Franciae conversione reformidare discimus), simul adeo stabilem plerisque adparuisse rerum conditionem, qualis erat sub illo regimine, ut nobiles etiam potentes et clerici absque ullâ verecundiâ profiterentur se eâ philosophiâ delectari, eamque promoverent, at de suae patriae institutis mutandis ne cogitarent quidem (1). Ab alterâ parte omnes fere scriptores, dum humanitatis, libertatis, religionis naturalis placita tuerentur, iisdem saepe scriptis adulabantur et patronos sibi flagitabant potentes homines, qui in populi salutem ne minimam quidem privilegiorum particulam cedere vellent, caeterùm quoque moribus deperditos. Ita e. g. VOLTARIUS liberiores suas de religione opiniones debuit coetui cuidam, quem valde juvenis domi Ducis DE VENDÔME frequentabat; idem poëta provectiori multùm aetate quibuscumque modis placere studuit Regi, Ducibus DE RICHELIEU, DE BELLE-ISLE, regiae pellici, aliisque multis proceribus. Eodem tempore academia Francica eò usque adulationis processit, ut Marescalco MAURICIO SAXONI legere ac scribere vix callenti locum inter XL literatos obtulerit, quem cum accipere recusasset, tamen ejus suffragium poëtis summi momenti habendum

---

eorum coetuum levioribus rebus vacantes ridiculum nomen meruêre *bureaux d'esprit*. De his plura dicere non opus est.

(1) SCHLOSSER, op. cit. I. pag. 478 sq. *L. P.* 76. Proceres illi ad coenulas (*les petits soupers*) pari conniventiâ admittebant histriones et *ingeniosos homines* seu philosophos. Utrisque adeo se praecellere putabant, ut tutò eos ad familiaritatem admittere possent.

videbatur (1). Hoc saltem adulationis vitio immunem fuisse MONTESQUIVIUM gaudeo, sive rei causa quaerenda sit in honorifico ordine et munere, sive in ingenuâ viri indole, seu denique, quod res familiaris bene se haberet; famelici enim plerumque erant poëtae isti adulatores.

Siquis autem miretur philosophorum nomen sibi arrogasse eos, quorum ratio agendi cum doctrinis parùm adeo congruebat, notandum est hâc in re Anglos exemplum dedisse, quos imitari summo studio enitebantur Franci. In Angliâ enim liberiores et puriores sententiae de disciplinis moralibus et politicis, quas secum ferebat *Lockiana* philosophia, a SHAFTESBURIO, TOLANDO, BOLINGBROKIO, aliis explicata, imò contorta saepius in religionis, bonorumque morum detrimentum, non a vulgo sed ab *honestioribus*, qui dicerentur (id est, locupletibus et potentibus), favore excipiebantur. Ita, quamvis etiam ab illis scriptoribus multa rectae rationi congrua docerentur, universe salutarem effectum sortiri vix poterant. Contrà proceres viri ex iis discebant, se non solùm ordine et divitiis, sed quam primùm vellent, ingenio etiam praecellere reliquis hominibus, dum facili levique doctrinae auscultarent. Id non vidit, aut videre noluit VOLTARIUS, quum *epistolas*

---

(1) SCHLOSSER, I. lc. et pag. 486; II. pag. 177. Apud MARMONTELLUM, licet post rerum conversionem memorabilia vitae suae ediderit, et in vitia aequalium invehatur, loci inveniuntur complures de proceribus, qualis est *Mémoires*, I. pag. 400; »Le Roi était à son lever. *Jamais je ne le vis si beau.* Il reçut mon hommage avec un regard *enchanteur*. J'aurais été au comble de la joie, s'il m'avait adressé trois paroles, mais ses yeux parlèrent pour lui." Idem, pag. 173 ait, se tragoediam quandam marescalco Saxoni praelegisse, gaudens quod doctus ille criticus nihil reprehenderit.

de Anglis scriberet (1727), quae multum contulère, ut Anglicos philosophos sectarentur Franci.

Quid MONTESQUIVIUS de genuinâ LOCKII doctrinâ politicâ senserit, quîque eam adhibendam duxerit, infra investigandum; id verò tenendum, cognita ipsi fuisse cùm omnia illa Anglorum scripta, tùm etiam cum scriptoribus familiariter vixisse.

Dum autem ingenii, elegantiae et fastûs laudem sibi quaererent proceres; inde a morte LUDOVICI XIV pessime gubernabatur Francia, nec per totum LUDOVICI XV regnum, quicquam factum est ad populi onera levanda, aut ut minus sumtuosa fieret rei publicae gestio. Iam pridem PHILIPPI AURELIANENSIS procuratione morum corruptela, magistratuum fiscalium improbitas, aerarii inopia maxime auctae fuerant, quum et privatae vitae pessimum daret exemplum Procurator, et indignis favore consiliariis nimis auscultaret, ac peculatûs reos persequeretur quidem, eorum verò spoliis alios depraedatores locupletaret. Maximopere eò contulit famosum illud *systema*, quod lucri absque labore comparandi flagranti cupidine omnium animos incendit, et subitò aes alienum publicum praeter modum auxit, ut creditoribus aperte decoquere debuerit Franciae fiscus (1).

Attamen et populo dilectum fuit PHILIPPI regimen; et fatendum est eum aliquando de juribus et salute populi sollicitum prodidisse animum, e. g. quum lites de religione, quantùm potuit, compesceret; quum ecclesiasticum tribunal (*le confessional*), quod nuper con-

---

(1) De JOANNE LAWIO et *Systemate* cf. MARMONTEL, *Hist. de la Régence*, pag. 98. m. sqq. VOLTAIRE, *siècle de* LOUIS XV, ch. 2 sqq. De ejus effectu in mores *L. P.* 138, 142, 146.

diderant sacerdotes fanatici, aboleret; quum sustinendae societatis Indicae, gratuitae eruditionis pauperibus dandae, artificibus doctisque viris debitum honorem praestandi primum daret exemplum. Aequam omnibus justitiam praestari etiam cordi ei fuit, et, nisi eventus spem fefellisset, quum omnes fidem habere desinerent Argentariae *actionibus*, abolita ab ipso fuisset munerum venalitas (1).

Quid verò de LUDOVICO XV dicendum? Omnibus vitiis pollutus, quae PHILIPPO dedecori fuerant, ab ejus laudibus alienus, nihil emendavit, multa pessum dedit. Regis istius educatio commissa fuerat Duci DE VILLEROI, qui discipulum penitus corrupit; exemplo sint haec verba, quibus (1721) populum io clamantem, e palatio Versaliensi aliquando ipsi monstravit. »Ecce istam plebem, mi domine! omnes hi *tui* sunt, tu omnium dominus." Mentione autem imprimis digna est, quae illo aevo apud Francos erat religiosa regiae majestatis reverentia, imò cultus; quum injustissimis regum jussis nonnunquam vexatus populus ne murmur quidem emiserit; ita sine ullâ seditione tulere edictum (1719) quod vetabat, nequis plus 500 libris cusi auri argentive domi suae haberet; ita etiam versus finem regni, onera quibus populum gravaret DU TERRAY vix querelas excitarunt (2). Porro notum est, quantâ sollicitudine, imo quanto angore moti fuerint Parisienses, quando LUDOVICUS Metis aegrotaret, idque postquam per menses adeo, nummos exercitûs sumtibus destinatos cum fa-

---

(1) MARIE AYCARD, *le Comte de Horn* (Paris 1835), praef. pag. *ix* sq. MARMONTEL, op. cit. passim.

(2) VOLTAIRE, *hist. du parl.* ch. 60, 61. SCHLOSSER, I. pag. 257-271.

mosâ DE CHÂTEAUROUX festis et ornamentis impendisset. Haec enim secunda fuit regis concubina, quae palam hocce nomine, tanquam honorifico titulo decorata; iisdem honoribus, qui reginae deberentur, praestitis, illam secum in campos duxit Rex, ut Belgicis marescalci SAXONIS victoriis adesset, licet sumtuosae aulae apparatus copiis magis impedimento, quam auxilio esset. Quum autem (1745) aegroto Regi curas dare cuperet pellex, clerici de principis salute aeternâ sollíciti in vestibulo eam repellere voluêre, ex quorum manibus eam liberavit et in cubiculum Regis intrare permisit Dux DE RICHELIEU; at morte et inferorum minis perterritus Rex, uxorem ad se vocari jussit, concubinam dimisit. Mox bonâ valetudine recuperatâ LUDOVICUS nullam rationem habuit reginae; in favorem rediêre et RICHELIUS et concubina, cui paulò post mortuae successit, quae satis diu Franciae praefuit, DE POMPADOUR (1). Haec optio regiae lubidinis initio nobilibus displicuit, quia nempe ignobilibus parentibus nata esset pellex, attamen brevi ab omnibus agnita, nec quisquam adulationibus pepercit, adeo ut poëtae aulici istam copulationem perinde ac regium matrimonium carmine celebrarent (2).

Nec parvi ponderis erat concubinae dignitas, quippe simulac haec illave femina eam nacta esset, omnibus, qui altis inhiarent muneribus, patebat unde ea petenda essent. Id enim summum dedecus saec. 18[i] videtur; modus scilicet, quo ad rerum summam capessendam perveniretur. Sic, exempla si quaerantur, Dux RICHE-

(1) SCHLOSSER, II. pag. 94, 174 sq.

(2) E. g. VOLTAIRE, *poësies mêlées,* 107, 116.

LIUS summis honoribus ornatus est, quia omnium mulierum amasius esset; Card. DE TENCIN, quia soror placuisset PHILIPPO AURELIANENSI; bello in Germaniâ gerendo praefectus DE BELLEISLE in gratiam pellicis DE MAILLY; de foedere inter Franciam et Austriam negotiari commissum abbati DE BERNIS (1755), qui in consilium regis admissus fuerat, quod epistolas amatorias, pro concubinâ, regi scriberet, etc. (1).

Dicta a nonnullis aetas ista *audaciae saeculum*, ac reverâ nullo tempore major ubique praevaluit audacia et levitas, cùm in rebus summi momenti committendis curae indignorum hominum, tùm in modo gestionis ipsius. Inde etiam complures apparuêre hîc illic nebulones, qui per longius breviusve tempus, quocumque tandem modo, complurium Europae principum favorem nacti, nova quotidie remedia inveniebant et adhibebant, ad fiscum exhaustum dilapidationibus sustentandum. Ita in Franciâ, Cardinali DUBOIS, fratribus PÂRIS, aliis, commodissimum visum erat onera in dies graviora populo imponere; aes alienum contrahere, ac dein tributo gravi onerare creditores ipsos; in Hispaniâ ALBERONIO et nostrati RIPPERDAE, item in Sardiniâ, regis VICTORIS AMADEI ministris placuit principum assensum in foedera cum exteris nationibus vendere; in Germaniâ famosi GÖRZ, BASSEWITZ, BRÜHL, FLEMING omnesque fere Hassiae et Saxoniae reguli lucrosum inprimis comperti sunt ipsos subditos vendere, ut pro exteris belligerantibus arma gererent; in Russiâ tandem inde a PETRI II morte Imperatricium amasii e

(1) SCHLOSSER, II. pag. 14, 175, 286, 295. MARMONTEL, *Mémoires* I. pag. 266—270.

deportatorum bonis aerarium locupletabant. His junge, quod soli fere ii societatis ordines, qui privilegiis gauderent, utilitatem ex nummis ita comparatis perciperent, ac spretis verecundiâ, decore et saepius jure communi, privilegiis illis abuterentur. Nusquam nobiles et aulici ulterius arrogantiae processerant, quam in Sueciâ, ubi mortuo CAROLO XII imperium capessivêre, ac per duo regna inglorii, timidi, venales rebus praefuerunt, mercenariis copiis et catastis freti (1).

A Franciâ autem ne aberremus. Cuivis ob oculos cadebat male ibi geri res cum externas, tum internas. Immensas pecuniae summas ministri Francici impendebant ad discordiam ubivis in Europâ excitandam, licet nullum inde fructum caperet Francia. Ita per totum Austriacae successionis bellum, Imp. CAROLUS VII, non tantùm copias ab ipsis accepit, sed complurium Germanicorum principum suffragia, quibus electus est, pecuniâ Francorum emta erant. Dein post repulsas frequentes in Germaniâ, felicior quidem fuit exercitus MAURICII SAXONIS, Belgio submittendo, at sumtûs et militiae et hibernorum adeo exspectationem superârunt, ut (1748) pax Aquisgranensis concludi debuerit, quâ omnes ditiones subactae pristinis dominis redderentur (2).

Porro exploratores, variis causis praetextis, ad omnes principes missi stipendia accipiebant, ut nunciarent

---

(1) SCHLOSSER I, pag. 177, 194 sqq, 233, 273, 287 sq, 311 sqq, 319, 325, 344; II, pag. 185 sq, 205, 310 sqq. *E. des L.* XIII, 15. »On appelle un grand ministre celui qui est un *homme d'industrie* et qui sait trouver des expédiens."

(2) MABLY, *droit public de l'Europe fondé sur les traités* (Genève 1774) III, pag. 90—195.

quid arcani in singulis aulis ageretur. Et his et legatis jussa mittebant modo ministri regii, modo domina DE POMPADOUR, saepius sibi invicem contraria. Ipsa adeo superbi animi Imperatrix MARIA THERESIA diplomaticam illi concubinae epistolam scribere non dedignata. Quantopere autem mala fides et salutis populorum incuria praevaleret in aulis eo tempore, ex omnibus ferme foederibus ostendi possit; satis illud probant arcani illi articuli unicuique pacto adjuncti, quippe qui ideo ignorari deberent, quia eos evulgare puderet (1).

Interna rerum gestio his maxime vitiis laborabat; 1. quod, ac si numquam extitisset ordinum potestas, universae Franciae pariter ex arbitrio imperaret LUDOVICUS XV; 2. quod per hoc regnum frequentissime tribunalium et legum vis debilitaretur per accusationes arcanas et literas sigillatas; 3. quod ecclesiae controversiis dirimendis inepte adhiberetur saecularis potestas. Quod ad ordinum generalium coetûs adtinet, consentiebant probe omnes potentes, quam primum hi convocarentur, tollendos fore complures abusûs; at, uti vidimus, philanthropicis de salute populi contemplationibus delectabantur quidem, verùm de earum efficaciâ non cogitabant. Attamen sanciverant (1577) ordines Blaesiae et rex HENRICUS III, absque ordinum consensu principes neque extra domania sua tributum exigere neque domania ipsa alienare posse. In desuetudinem quum abiisset horum convocatio, nonnullis provinciis, tanquam privilegium manserat jus ordines suos haben-

---

(1) Id. ib. pag. 33 et passim. SCHLOSSER I, pag. 300 sq. II, p. 290. De exploratorum usu questus MONTESQUIVIUS, *E. d. L.* XII. 23.

di, qui de tributis deliberarent, unde ipsis nomen fuit *Pays d'Etats.* At ex his quasdam, uti Delphinatum et Normandiam jure illo privavit LUDOVICUS XV; in reliquis, maxime Burgundiâ, Occitaniâ, Braccatâ Galliâ, Brittanniâ, effecerant regii gubernatores, ut tributi imponendi recusatio exemplo careret. Reverâ igitur hae provinciae nil differebant a devictis (*Pays Conquis*), ubi de divisione onerum simulque de litibus eâ in re motis judicarent curiae regiae subsidiorum (*cours des aides*). Tertium provinciarum genus (*Pays d'élections*) id peculiare habebat, ut *justitia* ea *administrativa* committeretur electis juratis ex ipsarum incolis, quos tamen designaret Rex. Ad curias subsidiorum utique hinc etiam provocabatur (1). Omnium autem ferme tributorum reditûs conduxerant sexaginta publicani (*fermiers généraux*), quibus, in sex annos plerumque, locabantur, pecuniae summâ prius ab ipsis depositâ in securitatem aerarii, cujus summae reditûs, juncto eo quod supererat nonnunquam e tributis, sufficiebant ad immensas opes iis comparandas. Divitiae horum publicanorum satis odiosae erant populo tributa solventi. Contractûs spatio finito, rationes reddebant publicani Consilio Privato et vendebant suum munus. Reliquorum vectigalium, quae regio nomine percipiebantur, cura commissa erat duodecim Curiis rationum (*chambres des Comptes*) (2).

---

(1) *Gesch. der Staatsv.* I, pag. 88 sqq. *Maximes*, I, p. I, pag. 250, 288 sqq. ad finem. DE LA CROIX, *Géogr. Moderne* (Paris 1769) I, pag. 276 sqq.

(2) *Gesch. der Staatsv.* I, pag. 116—118. Cf. *L. P.* 98. DE BOULAINVILLIERS, *Mémoires, présentés à Mgr. le duc* D'ORLÉANS, etc. (Hagae, 1727) v. II, pag. 47, qui inprimis de magno perceptorum numero

Alterum regiminis Franciae vitium fuisse dixi literas sigillatas. Jamdudum consueverant reges Francici sigillo quodam privato literas obsignare, quibus jussa aut arcana aut ad privatos spectantia continerentur, quae igitur parlamenta inscribere non deberent. Quum autem saepissime jura civium violarentur per tales literas, optimi reges Franciae LUDOVICUS XII, (edicto anni 1499) et HENRICUS IV (ed. 1609) vetuêre ne quisquam literis regiis obsequeretur, quae parlamenti judicium infirmarent. Attamen sub LUDOVICO XIV restauratus mos evocandi reos a tribunalibus, liberandi a poenâ, committendi judicibus delegatis per clausas literas. Neque hic solus earum abusus; saepius in hanc illamve provinciam relegabantur, in exsilium carceremve mittebantur quoscumque Regi placeret. Imo LUDOVICUS XV ministris, gubernatoribus provinciarum, omnibus fere aulicis non timuit ejusmodi potestatem in subditos mandare. Ita notum est Ducem DE RICHELIEU saepius hos vel illos in exsilium aut Bastiliam misisse, qui sibi quominus lubidini vulgivagae satis faceret obstarent; ita MAURICIUS SAXO (1749) Regi scripsit se a comoedâ quâdam impetrare non posse, ut in castellum suum (Chambord) veniat; literae sigillatae datae et puella vi ad marescalcum ducta. Graves de literis istis querelas movit anni 1770 Curia subsidiorum Parisiensis, quod scilicet potentibus impunitas, subditis durae poenae, quoties aulae displicerent, obtingerent. Anno jam 1753 parlamentum ejusdem urbis questum erat de Clericis muneris exercitio interdictis, de carceribus plenis insontium, de

---

queritur, quos vulgus eò magis odio prosequerentur, quò putarent ipsos privatorum commodis, non reip. inservire.

sacerdotibus in exsilium missis, opportunisate controversiae de bullâ *Unigenitus* (1).

Hac celebri lite memoratâ, ipse orationis cursus me ducit ad locum observandum, quem in Franciâ tenebat clerus primâ saec. praec. parte. Erat is sane excelsus et male tenebatur. Plurimi enim episcopi et Cardinales in Regis consilium admissi cum privilegiatis nobilibus et aulicis unâ tendebant. Duae autem viae erant, quibus honores et auctoritatem sibi politicam compararent. Alteram qui sequerentur, veste sacerdotali omnia tegebant dedecora, nobilium voluptatibus subministrabant, suis incubabant; de his prolixe loqui hoc loco absque proposito foret; hominum, quales fuere DUBOIS, DE TENCIN, DE ROHAN, alii, meminisse sufficiat, nec non noti illis diebus adagii; Genus humanum non periturum, dum abbates et episcopi supersint. Istam clericorum dissolutam vitam et bonorum morum eversoria placita Casuistarum et Quietistarum, ridendo passim in epistolis Persicis carpit MONTESQUIVIUS, ipse castâ et honestâ vitâ insignis et otiosae monachorum vitae inprimis infensus (2). Minus etiam ferenda erat altera agendi ratio, scilicet quum clerici plebis fanatismum

---

(1) *Maximes* I. p. II. pag. 1—16, 41—190. SCHLOSSER, II. pag. 178 sq. 184. Carcer arbitrarius eo tempore adeo necessarius habebatur valido regimini, ut magna emendatio esset, quod FRIDERICUS II vetaret quendam ei committi nisi autographo regis jussu. In Russiâ adhuc durior, quam tunc in Franciâ, viget abusus in Ordinationibus Cancellariae Arcanae. Id. ib. pag. 265, 421. Sunt qui dicant ministro Card. DE FLEURY ita carceribus mandatos 45000 homines. BLACKSTONE, *comm. on the laws of Eng.* B. I, c. I, nota *k*.

(2) *L. P.* 44, 47, 55, 57. *E. d. L.* XXIV. 7. DE BEAUMELLE, *Suite de la Déf. de l'E. d. L.* (in *Pièces pour et contre* etc.) II. pag. 110.

alerent et in animos principum et subditorum dominarentur. Hoc in genere exemplum dabant Pontifices; ipse adeo doctrinae et philosophiae causâ laudatus BENEDICTUS XIV, de Germaniae Imperio decernere audebat, et obsequentiam poscere, quae medium aevum oleret; superstitioso etiam Imp. CAROLO VII pia praescribebat itinera; porro ecclesiasticâ dominatione fulciendâ eminebant confessores iidem et ministri utriusque Borbonensis regis, in Franciâ DE FLEURY, in Hispaniâ D'AUBENTON. Illius nota sunt saeva edicta contra Protestantes, nec ei quicquam negare poterat LUDOVICUS XV, quoties Cardinalis eum inferorum minis perterresceret (1). Nihil autem cleri ineptiarum pravique effectûs, quem in societatem civilem habebant, magis perspicuam dare potest notionem, quam controversiae de bullâ *Unigenitus*, quibus et clerus et saeculare regimen sese inmiscuêre.

Postquam jamdudum lites agitassent Molinistae et Jansenistae, hâcce bullâ jusserat anno 1713 CLEMENS XI ut quicumque clericos ordines in Franciâ peterent, asserere deberent quinque theses damnabiles (de gratiâ divinâ) inveniri in JANSENII opere (*Augustinus*) nec non centum et unam theses damnabiles in libro quodam P. QUESNEL (*Réflexions morales*). Haec placita agnosci tanquam regni Francici *Constitutionem* voluit Pontifex. Id se facturos negarunt Parisiensis Universitas aliaque collegia, bullam tuiti sunt Jesuitae; tandem bullae adversarii Romam vocati, ut a papâ judicarentur denuo in-

(1) SCHLOSSER, II. pag. 9, 16, 141. VOLTAIRE, *Commentaire sur* BECCARIA, § 7. Lepide ideo anno 1721 scripsit MONTESQUIVIUS *L. P.* 107 de indole regis judicari non posse, priusquam eam probasset concubinae et confessori.

summâ instantiâ. Inter hos praecipuus Card. DE NOAILLES, libertatibus ecclesiae Gallicanae fretus in Franciâ manere cupiebat, idque impetravit artibus puellae, quae olim LUDOVICI XIV, jam aetate confecti, amica fuerat. Reliqui clerici JANSENII asseclae in carceres conjecti, in exsilium missi, muneribus privati, Papam continuò exhortante Regis confessore LE TELLIER, licet ipse CLEMENS, homo imbecillus et ignavus, lubenter bullam retraxisset (1). PHILIPPUS Procurator certe superstitione non peccabat. Omnis igitur vexatio cessavit quam primum hic rerum potitus: verùm a. 1720 indulgens nimium ambitioni ministri DUBOIS, cui paulo ante archiepiscopatum dederat Cameracensem, permisit, ut hic a Papâ BENEDICTO XIII Cardinalis dignitatem peteret, cui impetrandae conditio data, ut *Constitutionem* Franciae obtruderet. Parlamentum Parisiense, Pontesiae tunc sedem habens, concessit quod peteret minister regius; praemii loco Parisios rediit parlamentum; DUBOIS Cardinalis evasit. Renovata lis est a. 1730. Tunc scilicet mortuus unus ex quinque fratribus PÂRIS, homo clericus, qui magnam famam, dum viveret, nactus non fuerat. Quum autem librum contra bullam *Unigenitus* scripsisset, isque post ejus mortem manu carnificis

(1) MARMONTEL, *Hist. de la régence*, pag. 416; »Le P. AMELOT lui ayant demandé pourquoi dans cette bulle il ne s'était pas contenté de censurer expressément quelques propositions du livre de QUESNEL, au lieu d'en censurer *cent et une* in globo; le Pape se mit à pleurer, et saisissant le bras du ministre français; Hé, M. AMELOT, s'écria-t-il, que vouliez vous que je fisse? Le P. LE TELLIER avait dit au roi, qu'il y avait dans ce livre *plus de cent* propositions censurables; il n'a pas voulu passer pour menteur, on m'a tenu le pied sur la gorge, pour que j'en misse plus de cent; je n'en ai mis qu'une de plus."

publice esset crematus, Jansenistae Sanctitatis honores ei tribuêrunt. Ejusmodi superstitione grassante, Jesuitae coepêre Sacramenta et Viaticum negare omnibus, qui tales errores exsecrare recusarent. Cogere ad munus exercendum illos clericos voluit parlamentum; minister Card. DE FLEURY (1732) ejus sententias irritas pronunciavit; tunc evenit ut bullae adversarii omnigena miracula et visiones animadverterent in tumulo abbatis PÂRIS. Carcere et mulctis puniti, donec miracula fieri desinerent (1). Viginti annis post, eâdem animorum contentione adparuêre eaedem lites, libelli, miracula, interdictiones; tunc Molinistis per literas sigillatas ita valide succurrit rex, ut mense Augusto 1753 querelae moverentur, multas parochias vacare, carceres impleri clericis absque judicum sententiâ occlusis etc. (2)

Ejusmodi nugas quum quotidie agitari viderent viri praestantis ingenii, non mirum est ipsos crebro flagrasse indignatione et odio omnium, quaead ecclesiam pertinerent, quale in scriptoribus Encyclopaediae adparuit. Magnum adeo mihi videtur in MONTESQUIVIO moderationis argumentum, quod ab adoriendis ecclesiae institutis consultò semper abstinuerit. Multum etiam, ni fallor, eò contulit, quod complures docti abbates ipsi familiares fuerint. Leviter tantùm in epistolis P. tangit quorundam clericorum ignorantiam et absurdum illum morem, quem jam notavimus apud ipsos et aulicos viguisse, favendi scilicet placitis philosophicis ecclesiae contrariis, dum simul privilegia erroribus fulta tuerentur et in sua commoda adhiberent (3).

(1) Id. ibid. pag. 367 sqq. 424. VOLTAIRE, *hist. du parl.* chap. 63-65.

(2) *Maximes* I, p. II. pag. 190 sqq.

(3) *L. P.* 46, 136, 145. *L. F.* 53 et notâ citatur exemplum mo-

Locus hîc foret quaestionem movendi de MONTESQUIVII opinione, qualis ea fuerit quod ad ecclesiam et religionem Christianam, nisi putarem illam tanti momenti non esse, quae in hoc specimine exploretur. Nam de Christianorum doctrinâ nusquam nisi paucis epistolis Persicis loquitur, ibique semper ex personâ Muhammedani (1); libro operis de Ingenio Legum XXIV, BAYLII placita refellens, utilitatem ejus religionis politicam asserit, quâ de re infra agendum. Caeterùm, quam fidem religiosam intimo pectore foverit, nos parum adtinet. Superstitione sane liberum animum complura ejus dicta probant, ex quibus memorandá, cùm facetum responsum, quod Papae absolutionis chartas mittenti dederit; tùm loci multi in operibus, ubi tolerantiam commendat hominumque imbecillitatem agnoscit in Dei naturâ pernoscendâ (2).

At e plurimis locis patet, quam caute priori sae-

---

rum ecclesiae, quod sub oculis, ut ita dicam, habebat MONTESQUIVIUS. Quidam scilicet ejus famulus (PETRUS BOYENART) Latina verba nonnulla edoctus sacerdotium impetravit ab episcopo Bajonnae, intercessione amicae. Majora autem beneficia accipere gestiens, furore quodam simulato invectus est in JANSENII sectatores; idque tam bene ei cessit, ut mox capituli satis locupletis (in Britanniâ) aerarium ipsi committeretur. Saepius tunc etiam cum famulis MONTESQUIVII pransum veniebat.

(1) *L. P.* 18, 24, 35, 75, 114.

(2) Ipse in articulo mortis, quum clericus viaticum offerens diceret: »Vous sentez comme Dieu est grand;" respondit: »Oui, et commel es hommes sont petits." —*Biogr. Univ.* XXIX. pag. 507. Ibidem responsum illud Papae datum invenitur: hic scilicet absolutionem ei promiserat peccatorum, quae aliquando commissurus esset, quum verò legatus chartas adferens, sigilli sumtûs quosdam posceret, potius pontificis literas ipsas reddidit MONTESQUIVIUS dicens, se mero Papae promisso satis confidere.

culi praec. parte in vulgus proferri deberent, quae hodie universe ferme agnita esse gaudemus placita, qualia sunt, de magiae crimine non puniendo, de coelibatu civitatibus noxio, de tolerandis variis religionibus, quae tectis adeo verbis aut de longinquis populis se loqui simulans carpit MONTESQUIVIUS; perinde atque asserit se de religione non agere, religionem tangere nolle, quoties politicam utilitatem divortii et usurae explicat (1). Talia sinceritate caruisse A. N. probare videantur; at unusquisque, ejus aevi historiâ vel obiter lectâ, animadvertet, quam severe librorum censuram tunc exercuerint clerici; et cernens quas opiniones damnabiles et eruendas esse pronunciarent, fateri debebit summam sibi παῤῥησίαν vindicasse MONTESQUIVIUM, quâ uti posset, nisi religioni adversarius haberi vellet. Longus enim index est operum de philosophicis, theologicis, politicis argumentis, quae in Franciâ censores reprobarent. Ipse MONTESQUIVIUS librorum eam inquisitionem expertus est, uti de epistolis P. jam vidimus; ipsius magni operis an publicationem in Franciâ permitteret usque ad a. 1752 dubitavit collegium Sorbonense, postquam jam omnium manibus versaretur (2). At quid plura? omnia namque lexica bibliographica produnt, quot millia librorum, metu censurae, in Hollandiâ, Helvetiâ, et Angliâ prelo mandata, clam in

(1) *E. d. L.* XII. 5: »Je n'ai point dit ici, qu'il ne fallait point punir l'hérésie, j'ai dit qu'il faut être très circonspect à la punir." — V. porro XVI. 6 et notâ; XIX. 18; XXIII. 21: »La continence est une vertu d'autant plus parfaite, qu'il y a peu de gens, qui la pratiquent;" ib. »à Dieu ne plaise que je parle contre le célibat, qu'a adopté la religion." XXIV. 23, 25 sq.; XXV. 9—12.

(2) *L. F.* 43.

Franciam inveherentur, quorum nonnulli ejus tenoris sunt, ut hodie vix intelligamus, quae metûs causa fuerit. Quum tamen ita ad lectores pervenirent libri noxii, varia adhibebantur remedia a clero catholico; in Franciâ nonnumquam liber manu carnificis cremabatur, uti obtigit *literis Anglicis* VOLTARII et compluribus scriptis ROUSSAVII; in Hispaniâ ad valvas ecclesiarum index adfigebatur juncto monito, omnes qui ista legerent, in aeternum damnatum iri; Portogalliae rex JOANNES V, qui monachis sese totum dederat, edixit ne quis liber Anglicus inveheretur; summum adeo dementiae adtigit Bavariae imperans CAROLUS (VII), qui monachos in finibus regionis committebat, ut et libros et peregrinantes examini subjicerent, ac, si qua opinio Fidei contraria inveheretur, libros comburerent, homines in carcerem conjicerent, donec abjurassent (1). Experientia probavit, quò magis talibus remediis utantur principes ad impediendam dicendi libertatem, eò magis liberioribus et condemnatis placitis delectari homines. Vani igitur erant ejusmodi conatûs, sed aliquando hic vel ille, cui infensi erant potentes, poenas dabat vel literis sigillatis consilium abeundi accipiebat. Itá sese ecclesiae aut imperanti opponere longe aberat ab indole MONTESQUIVII.

Notavi jam praecipua quaedam de aetatis opinionibus, quâ scripsit MONTESQUIVIUS, et ea quidem, quae constat maxime illi ob oculos cecidisse; jam priusquam transeam ad ea, quae scripto condidit, dicenda puto

---

(1) SCHLOSSER II. pag. 236, 515. BARETTI, *Reize door Frankrijk, Spanje en Portugal,* Brief 25, 56. CONDORCET, *vie de* VOLTAIRE (ed. Brux. 1827) pag. 149.

nonnulla de ejus ratione scribendi etdis putandi methodo, quas recentiores parum Latine *styli* nomine designant.

§ 4. *De* MONTESQUIVII *stylo.*

Tritum satis et, quod majoris est, verum utique adparuit effatum BUFFONII; »Stylus ipse homo est." — Utile igitur erit eo placito, tanquam filo Ariadneo utentes, MONTESQUIVII scripta, quam brevissime possimus, perlustrare, ut dicendi ratio ad viri ingenium noscendum inserviat, ut imprimis etiam ex ingenio dicendi ratio explicetur. Moralis autem praestantia quum ingenii acumini praeferenda sit, primo loco monendum, humanitatis, benevolentiae, et comitatis laudes MONTESQUIVIO et debitas et ab aequalibus tributas esse. In privatâ ipsius vitâ hae virtutes saepius eminuere; unum praesertim humanitatis exemplum, licet notum sit multis etiam, qui nihil praeterea de MONTESQUIVIO sciant, quin hîc referam, abstinere nequeo. Provectâ jam paululum aetate Massiliae, ubi sororem nonnumquam invisebat, versans, pomeridiano tempore in portu deambulare coepit; hîc, uti in ejusmodi locis saepe solet fieri, adolescens quidam obviam ei fit, cymbam offert ad parvam navigationem. Cymbam conducit noster; mox dum navigant, pro more suo cum vectore incipit confabulari.

(1) MAUPERTUIS pag. 29, ubi perinde munificam MONTESQUIVII indolem laudat, hoc factum verbo tantùm tangit. Aliud exemplum adfert, quod scilicet in coetu quodam academiae, postquam nunciasset Regi displicere coöptionem ALEXII PIRON, eâdem occasione ita vivide sociis depinxerit hujus poetae merita et inopiam, ut e donis collectis (quibus sua addiderit domina DE POMPADOUR) reditus annuus ei conficeretur mille librarum.

Hocce colloquio, et melius educatum esse adolescentem opinatus est, quam ejus conditionis homines vulgo esse solent, tùm porro ex imperitiâ quâdam in remis agendis, brevi animadvertit operi illi non dudum assuefactum.

Hoc quum profiteretur, lacrymis suffusus respondet ille, recte divinatum; se gemmarium nec adeo pauperem fuisse, at misero casu adactum, ut victum quocumque modo quaereret. Pater enim a piratâ captus, Tetuanum abductus fuerat; Turca cui in dominium obtigerat, 2 millia scutatorum poscebat, ut manumitteret; jam ipse et mater et sorores diu noctuque, quantum possent, pecuniae sibi comparandae studebant, ut paterfamilias liberaretur. MONTESQUIVIUS rogatis nominibus captivi (ROBERT) et domini, crumenam vectori satis repletam dat, ut tantò citius ad nummorum summam requisitam perveniat. Tunc citò abit, sui nominis ignarum linquens adolescentem. Tribus mensibus post, dum solitis laboribus domi operam navant conjux et liberi ROBERTI, ecce cubiculum inexspectatus intrat pater. Post primos amplexûs et mutua gaudia, quaerit, quo pacto tandem eam nummorum summam collegerint tam brevi tempore; illi se nil misisse asseverant. In memoriam tunc revocat filius peregrinum quendam et crumenam dedisse et nomina rogasse. Huic igitur utinam grates agere liceret! At vanum desiderium mansit, donec post biennium denuo Massiliam perambulat MONTESQUIVIUS. Tunc simulac callem ingreditur, ubi habitaret ROBERT, domo exsilit juvenis, genua amplectitur, patris liberatorem, Dei nuncium vocat, at ille, vulgus concurrere cernens, fictâ eum duritie repellit, alii gratias agendas dicit, tandem per mediam plebem effugit. Ita ignota mansisset ea munificentia, nisi

post mortem in adversariis MONTESQUIVII domesticis notatam invenisset filius duorum millium scutatorum summam, missam R. MAYN mercatori Gadibus habitanti idque *ob certas causas*. Noscendi cupidus, quae fuerint hae causae, mercatorem interrogat, qui patefecit Tetuanum mitti debuisse nummos illos ad redimendum ROBERTUM (1). Talem viri indolem quum novimus, digniora etiam, quae diligenter adtendantur, fiunt scripta, quippe quae nonnisi ex animo hominum salutis curioso, cuique nil humani alienum sit, prodire potuerint.

Exempla singularia si desiderentur sensûs illius et ardoris, ut humanitati prodesset, qui inprimis in magno opere conscribendo eminuêre, citari possint loci, ubi generosâ indignatione invehitur in quaedam sui aevi instituta, humanitati maxime contraria, qualia sunt Nigrorum mercatura, opes publicanorum in populi detrimentum acquisitae, porro Inquisitio Hispanica, cujus ministros inter plura his verbis alloquitur: »Siquis futuro aevo nostrum saeculum cultum et barbarie liberum fuisse dicat, vos citabunt posteri, ut barbarum fuisse probetur." Eodem sacro igne ipsi calescit pectus, quando MARCI ANTONINI mentionem facturus, animo generose elato scribit: »Gaudium mentem subit, quum de hoc principe loquendum; nec sine dulci affectu legi potest ejus vita; quae adeo efficit, ut melius de nobismet ipsis, quia melius de humano genere, opinemur" (2). Humanitati illi in MONTESQUI-

(1) Cf. inter alia *Biogr. Univ.* art. *Montesquieu* sub f. et complura anecdota moralia. In scenam saepius traducta historiola.

(2) *Consid. sur la Gr. et Décad. des Romains,* chap. 16. *E. d. L.* XIII. 19; XV. 5; XXV. 13. Mirum videri possit Nostrum Auctorem, qui absurdam injustitiam Nigrorum mercaturae tam praeclare os-

VIO vividae et calenti, si jungamus, quae ipsi inerant mitis indoles et metus ne cui offenderet (1), perspicue adparebit, cur ubique ab ejus stylo absit mordax illa ironia, quae e. g. omnibus philosophicis et historicis nonnullis VOLTARII scriptis inest. Benevolam quoque indolem sapit MONTESQUIVII dictum, quum ep. fam. 47 loqueretur de Berolinensis scholae philosophis, qui ironiâ ejusmodi maxime delectarentur: »Le bon esprit vaut mieux que le bel esprit." — At, hisce laudibus objici possit, ironiae causâ multa conscripta videri in MONTESQUIVII operibus; quum et Persicae epistolae eò tendant cunctae, ut moribus aequalium irrideat, et in ipso magno opere saepe joci et sales inveniantur, ubi seriam exspectares ratiocinationem. Verùm, quod respondeam, in promtu est.

Primo enim loco, facetiae, quibus in colloquiis etiam excelluisse MONTESQUIVIUM testantur aequales, longe absunt ab eo risu, qui mentem aegrotam, cuique omnia displicent, ostendat. Hinc procul MONTESQUIVIUS

---

tenderit, media non dedisse quaedam, quibus a barbarico isto more liberari queat humanum genus; at ipse, primus fere talis sententiae auctor, nullam spem fovere poterat abolitum iri eam consuetudinem. Quippe complura ejus aevi foederibus definita diversarum nationum Europae jura in agendâ istâ mercaturâ; et cultissimi viri politici in Anglico parlamento e. g. saepius questi sunt, Hispanos humanam illam mercem asportare, ubi solis Anglis liceret; de rei ipsius injustitiâ nemo locutus. — Cf. MABLY, *droit public de l'Europe*, III, pag. 187. SMOLLETT, *Hist. of G. Britain*, (ANNE) ch. XX, n. 2.

(1) Ejus quoque ex privatâ vitâ exemplum praebet *L. F.* 58, ubi summâ modestiâ et lenitate amico DI GUASCO scribit sollicitum se esse, quod cum docto quodam DE MAIRAN disceptans de Sinâ, acrius locutus fuerit. Petit, ut amicus exploret, num alter aegre tulerit, et si fecerit, veniam pro ipso roget.

remotus, qui mente sanâ in corpore sano praeditus, hilari ut erat et sanguineo habitu, omnia potius laeto adspectu intueretur. Porro verum est epistolis P. saepe corruptelam et ridicula aequalium vividis coloribus depingi, sed quum hocce argumentum semel elegisset (juvenis adhuc) MONTESQUIVIUS, majori cum moderatione vix tractari potuisset. Per totum opus ii, quos loquentes inducit, de vitiis ineptiisque subrident tantùm, ut ita dicam; raro indignatio erumpit e. g. quum de principum favore pigris aulicis tributo queritur, deve moribus eorum, qui domesticâ quiete perturbandâ gloriam sibi quaererent; tandem in iis epistolis, ubi vitae socialis praestantiam (in Troglodytarum fabulâ) aut quaestiones graves de juris naturalis origine, de causis minuti hominum numeri, de artium et scientiarum utilitate, agitat, serius et gravior evadit stylus, neque locum esse facetiis sentit (1). Quod ad jocos, qui suo loco non esse videntur in Opere de Legum Ingenio, in memoriam revocandum est, Francis maxime scripsisse MONTESQUIVIUM, quorum levitatem, praesertim eo tempore magnam, probe noverat et jam pridem depinxerat (*L. P.* 100). Adde, quod inprimis in eo societatis ordine lectores sibi quaerere deberet, qui sive Parisiis sive in provinciis ad aulae, vel coetuum illorum literatorum exemplar sese efformare solerent. Hisce, uti postea latius videbimus, parùm grata quaedam placita inculcare volebat MONTESQUIVIUS. Queruntur autem et ipse, et complures aequales vel suppares de cultâ istâ societate, ut leviter de omnibus aliquid scire et dicere cuperet, ut a gravis cujusque studii labore abhorre-

---

(1) *L. P.* 11—14, 47, 83, 105, 106, 112—114, 124.

ret (1). Aevi igitur sui indolem perspexit et suam simul dicendi rationem explicavit MONTESQUIVIUS, quum (*L. F.* 15), eidem semper DI GUASCO scriberet: »Vos recherches vous feront lire des savans, et un trait de galanterie vous fera lire de ceux, qui ne le sont pas."

Jam quum MONTESQUIVII interesset, opus suum non unice doctorum manibus versari, eandem, quam amico commendat viam ingressus est, et austerâ aridâque eruditione abstinuit. Et quo magis nobis persuasum sit, non quia ingenium ipsius sponte eò tenderet, verùm consultò jocos seriis immiscuisse, plene illis vacare cernimus opus de Romani imperii splendore et interitu, quod scilicet argumentum naturâ suâ satis alliceret historiae studiosos. — Animadverti quoque solet 1°. gravia saepius argumenta a MONTESQUIVIO expediri uno apophthegmate, et 2°. varios maxime esse modos demonstrandi, quibus utitur, quum modo undique terrarum argumenta adducat et coacervet, modo e singulis factis complures consequentias derivet. Sin ea negligentiae adscribenda forent, certe mirum accideret, per viginti annos operi de Ingenio Legum intentum

(1) Cf. *L. P.* 100. *E. d. L.* XIX. 5, 6. *Temple de Gnide*, praef. extr. ubi pollicetur se ad aevi gustum accommodatum opus conscriptu-rum, quod duodecim paginarum volumine omnem scientiam contineret. — porro D'AGUESSEAU, *discours* II, V. PECQUET, *l'Esprit des Maximes Politiques*, praef. pag. x: »Les ouvrages sérieux et médités ne font pas fortune aujourd'hui (1758), parce qu'on ne demande pas à être instruit, et qu'on ne veut qu'être amusé, ou si l'on consent à être instruit, on se contente de choses superficielles." Quantopere levitati illi mos gerendus esset, ostendit locus in *E. d. L.* XXX. 15, ubi elucidatâ summi momenti historicâ controversiâ (ex capitulariis), a lectore petit, ut sibi ignoscat »l'ennui mortel, que tant de citations doivent lui donner."

fuisse. At hisce omnibus consultò studebat lectorum animos ad opera sua trahere. Breviora illa capita, quae nonnisi unum axioma aut paradoxon continent, uti verissime observat doctus commentator DESTUTT DE TRACY, tanquam milliares lapides sunt, in quibus ad cogitandum consideat lector (1). De eorum utilitate quid existimârit ipse MONTESQUIVIUS expressit, quum (*E. d. L.* XV. 20) diceret: »Il ne s'agit pas de faire lire, mais de faire penser." Consultò ex theoriâ congrue se habenti, eum opera sua conscripsisse patet e MONTESQUIVII scriptiunculâ *de gustu* (2), ubi diserte exquirit quid auctori faciendum sit, ut lectori placeat, ejusque animum captet et devinciat. Incipit definiendo *gustu*, scilicet ut eo verbo significet judicium animo conceptum de sensu, quo eum adficiant res pulcrae, bonae, jucundae, magnae, gratiosae vel quae hisce contraria. Porro, postquam probaverit haec praedicata neque (ex PLATONIS notione) separatam habere essentiam, neque subjectis inhaerere, sed mente observantis determinari; consilium sibi esse dicit, exquirendi, cur hoc illudve ad elocutionem et artes pertinens suo quodque modo animum adficiat. Negat, certis regulis subjici posse quaecumque sunt *gustûs naturalis*, id est, judicii, quod de sensu ferimus, dum conscii non sumus ejus operationis mentis; verùm aesthetica disquisi-

(1) V. *Critischer Commentar über* MONTESQUIEU's *Geist der Gesetze vom Grafen* DESTUTT DE TRACY, u. s. w. *übersetzt u. glossirt vom Prof. Dr.* C. E. MORSTADT, (Heidelberg 1820 sq.) I, pag. 80. — Ejusmodi capitula v. e. g. *E. d. L.* V. 13; VIII. 1; X. 10; XIV. 6; XVII. 1; XIX. 14; XX. 9; XXIII. 39; XXV. 1.

(2) Scriptum hocce non ad finem perductum invenitur (ed. 1805) T. VI, pag. 363—400.

tio institui potest de *gustu acquisito*, qui in comparando, conjungendo, imagines revocando vel fingendo versatur. Dein facultatum mentis aliquot definitionibus datis (quae Lockianae philosophiae maxime congruunt) ad ipsa *placendi* praecepta transit. Quae jam in opusculo sequuntur, siquis recte legerit, apparebit, MONTESQUIVIUM cogitasse de eo societatis genere, in quo diu saepe versabatur, cujusque manibus ut versaretur ejus opus, magni intererat. Aesthetices enim suae fundamentum quaerit in novi discendi studio (*curiosité*). Huic artifex, poëta, scriptor ante omnia satisfaciat; quod eò melius cedet, quò plura simul oculis proponantur. Exempla adfert petita ex hortorum plantatione, e pictis tabulis, tandem e stylo. Commendat eo in genere eadem illa apophthegmata, de quibus modo locuti sumus, quippe quae in animum lectoris plures simul res revocent et simul ejus *vanitati* placeant, quum facile consequentias inde derivet et invenire sibi videatur. Ex eodem studio multa simul lectori offerendi ducendum, quod MONTESQUIVIUS saepe multa magnaque argumenta junctim tractanda adgrediatur, et suscipiat, quod humeri ferre recusent (1). Id maxime ipsi nocuit;

(1) Sic, ut uno tantum exemplo utar, *E. d. L.* XXVI. 1, promittit se hoc libro explicaturum, quibus argumentis singula adplicanda jura privatum, publicum, gentium, humanum, divinum, ecclesiasticum, canonicum; et quid fieri oporteat, ut evitetur falsa applicatio. Cf. *Anonymus* ad lc. notâ *a* (Ed. Amstelodami et Lipsiae, 1763). De universo opere ipse fatetur auctor XX. 1. Imo XXVIII, 45 lepide sibimet irridet, quod longius abductus sit studio multa simul tractandi: »Je suis comme cet antiquaire, qui, partant de son pays, arriva en Egypte, jeta un coup d'oeuil sur les pyramides et s'en retourna."

propter duo quaedam ejus ingenii propria, quae identidem adparent in scriptis.

Primò scilicet difficile ipsi erat de pluribus argumentis opiniones suas oratione exprimere absque confusione quâdam, quum id, quod de altero diceret, alterius imaginem confestim ei offerret. Ipse amicis fatebatur; hoc sese impeditum, quoties ex tempore concionandum esset, eamque e praecipuis fuisse causis, cur muneri suo renunciârit (1). Nocuit hoc reverâ ejus stylo, in opere quod argumenta adeo diversa, nonnumquam nova, comprehenderet, cuique exempla ex historiâ diversarum mundi partium et e disciplinis longe a politicâ alienis, inserenda arbitraretur (2). Facilior longe et aequa fluit oratio, quotiescumque unum, licet magnum, argumentum ab aliis sejunctum sibi proponit, uti in Considerationibus de Imperio Romano, ultimis libris de Ingenio Legum etc. Sic demum intelligi potest, cur tot annos reliquo operi, unum modo semestre libris illis de antiquâ Franciae historiâ impenderit.

Secundo loco *practicum* eximie erat MONTESQUIVII ingenium. Minus scilicet delectabatur iis studiis, quorum in vitam privatam aut publicam non statim bene-

---

(1) *Biogr. Univ.* XXIX, pag. 505. Conferri meretur *E. d. L.* XIX. 1, ubi sincere cum lectore confabulans MONTESQUIVIUS ait se vereri, ne ab uno argumento in plura divergat, maximopere igitur animum adtendere debere, imo *magis* ordini studere, quam argumento ipsi.

(2) Quamvis enim paucissima de MONTESQUIVII educatione sciamus, id tamen adparet, eum jurisprudentiae, politicae, classicis auctoribus, et physicis disciplinis, quantum posset, simul operam navâsse. Encyclopaedicae scientiae cupidus erat. Scribit quoque *L. F.* 19 se maximi facere praesidem quemdam Montis Pessulani (BON), quod praeter disciplinas suo muneri necessarias plurimis scitu dignis sese adplicuisset.

ficia adparebant et quoties placitum quoddam politices aut juris posuisset, et, e suâ opinione, satis exemplis adstruxisset, quomodo humanis usibus adhiberetur, cogitabat. Hinc saepe inexspectatò ab universalibus principiis ad singularia notanda se confert, vel exemplum quoddam e politicâ aut jurisprudentiâ practicâ sumtum arripiens, huic inhaeret et diu in eo moratur, ita ut ratiocinationis cursus interruptus videatur. Magna tamen MONTESQUIVII cernitur ars, uti doctissimus WEITZEL observat, in reducendis singulis factis ad universalia principia (1). Hae duae ingenii dotes igitur difficile observatu reddebant auctori N. ipsius praeceptum de compluribus simul rebus lectori offerendis. Videamus autem nonne plura ex opusculo *de gustu* discenda sint.

Progreditur ibi (pag 375) de varietate dicturus, quae delectare potest, dum uniformitatis taedeat, quia mens, ex eodem novi studio jam memorato, odit eam scribendi rationem, quâ lecto initio statim praevideat quid insecuturum sit. Summo cum acumine praecepta hinc ducit, ne saepius eâdem figurâ rhetoricâ utantur scriptores, aliaque. Verùm, inquit, ordine seu symmetriâ opus est, ut recte percipiat animus, vel potius, uti rem describit, »ut labor evitetur menti curiosae." Symmetriam eam servare in simplici seu singulari argumento explicando difficile non judicat, verùm in eo, quod multis constet partibus, nimium taedii penes lectorem oriretur, si eâdem assiduo formâ, eodem ordine uteretur scriptor.

Nec igitur, iterum dicam, ex levitate, uti nonnun-

(1) WEITZEL, *Gesch. der Staatsw.* I, pag. 212 sq.

quam perhibetur, suam regulis non adeo adstrictam rationem demonstrandi adhibuit, neque e. g. in politicis et juridicis methodo *Wolffianâ* usus est. Hanc potissimum cito, quia versus medium saec. 18um magnâ apud eruditas laude frueretur. Composita ea plane erat ad EUCLIDIS mathematici rationem, ut axiomatibus et definitionibus superstrueret corollaria, scholia et propositiones demonstrandas ope syllogismorum (1). Verùm talia vestigia quominus premeret MONTESQUIVIUS, impediebat cùm, quod sibi sperabat, genus lectorum, tùm ipsius perspicacitas. — Quippe probe videbat nullam methodum majorem certitudinem cuipiam disciplinae tribuere, quam ejus subjectum secum ferat. Erronea quoque, ut obiter hoc addam, WOLFFII erat methodus; primùm enim in politicis et jurisprudentiâ vix inveniuntur theses illae, quibus unusquisque *absque demonstratione* adsentiatur, quas mathematici axiomata vocant; et porro, quod praecipuum ejus methodi vitium erat, rerum definitiones quot dantur contrariae, imo quot diversis modis enunciantur, tot rei notiones efformabunt et consequentiae variae hinc ductae totum systema obvertent. Geometrae contra, quum definiendas sibi proponant res, quas omnes eâdem ratione sibi fingant, etiamsi de modo definiendi dissentiant, eadem rei imago vel notio cunctis erit (2). Hanc itaque viam

---

(1) Methodum eam in omnibus scriptis CHRISTIANI DE WOLFF invenias; ipsa quaenam sit et quomodo ad jurisprudentiam applicanda v. in ejusd. *dissert. de jurisprud. scienter pertractandâ*, diss. I, § 1 et 2. Cf. WEITZEL, I, pag. 263 sqq. F. VON RAUMER, *ü. d. geschichtliche Entwickelung v. Recht, Staat u. Politik* (Leipz. 1832) pag. 68 sqq.

(2) Ita aliis *angulum* definientibus declinationem lineae in alteram lineam, quam secat, aliis spatium determinatum duabus lineis quae

facilem auctori, asperam legentibus, quum sperneret MONTESQUIVIUS, non unam sed complures novas sibi quaesivit; et hinc adparet, cur in variis libris *de Ingenio Legum* varia adeo sit distributio argumentorum. In leviori epistolarum Persicarum opere eandem diversitatem obtinere, certe ad ejus libelli virtutes referendum. Iam si ad aestheticum opusculum redeamus, parum amplius lucis in eo invenietur; sequentibus enim paginis varios jucundos mentis adfectûs perscrutatur, digressionibus de subtilissimis quaestionibus indulget (1); universe patet non perfectum esse scriptum. Illud tantùm ex his memorandum, quod (pag. 389) dicit, stupidos et inanes homines unam duntaxat notionem simul capere, politos magis et acutos unâ semper plures percipere.

Caetera quae de MONTESQUIVII stylo dicenda, ad ea redeunt maxime, quae in quibusvis celebratis auctoribus Francicis laudari solent, quarum laudum summa est perspicuitas, concinna neque verbosa, nec abrupta oratio; elegantia et modicus usus supellectilis rhetoricae. Eloquentem maxime MONTESQUIVIUM admiramur in historici argumenti locis, et ubicumque magnis lineamentis depingit, e. g. bella Punica, bella Romanorum civilia, TIBERII astutam tyrannidem, florens imperium sub ANTONINIS, populos orbem Romanum invadentes,

se invicem secant, in infinitum procedens; aliis aliter, omnes tamen visâ figurâ aut corpore quocumque, aeque pronunciabant, quid sit angulus, quid non. At variae definitiones, quae dantur e. g. *summi imperii*, *libertatis*, valde diversas gignunt notiones, adeo ut, ubi alter libertatem civilem esse putat, alter abjectâ servitute premi populum queratur, etc.

(1) Cf. chap. *du je ne sais quoi*, pag. 390 sqq.

porro ALEXANDRI, CAROLI MAGNI, CAROLI XII victorias et instituta, mercaturam Veterum etc. (1). Eminet vel inter ejusmodi locos, brevis dialogus SYLLAE et EUCRATIS, qui classicam redolet antiquitatem. SYLLAM ibi loquentem inducit cum familiari, cui causas abdicationis exponit et simul generosiores sui animi adfectûs patefacit. Duae illius actûs dantur causae; primùm quod stabilito per leges *Cornelias* optimatum regimine, imperii gerendi SYLLAM pertaesum sit, idque maxime ob minutias in republicâ administrandâ adtendendas; porro quod servilem civium indolem dedignaretur. Plurimum dein sibi debere Senatum gloriatur, hujusque grato animo tribuit, quod nemo, postquam imperio abdicasset, ausus sit ipsum de rerum gestione in jus vocare. EUCRATES tandem, licet SYLLAE sit admirator, timere se fatetur, ne successu careant ejus conatûs, quum multi futuri sint qui tyrannidem, nemo qui abdicationem imitari velint. Desinit notissimo illo SYLLAE effato, se in uno CAESARE plures MARIOS cernere. Quod maxime allicit et captat in hoc dialogo legendo, est color illius temporis, quo eximie expresso, consiliorum politicorum de Romanâ republicâ particeps fit unusquisque legens, aeque ac legentibus CICERONIS epistolas accidere solet (2).

Unum adhuc peculiare quid observandum videtur, quod hîc illic in MONTESQUIVII orationem vim exercuisse puto. Natus scilicet et educatus erat in Aquitaniâ provinciâ, cujus licet pars tantummodo proprie Vasconia

---

(1) *Gr. et Déc.* chap. 4, 8, 11, 14, 16, 19. — *L. P.* 112, 131. *E. d. L.* X. 14, 15. XXI. 6 sqq. XXXI. 18.

(2) Hic dialogus invenitur ed. cit. T. VI, pag. 285—300.

diceretur, saepius omnes incolae a Garumnâ ad Pyreneos montes, *Vascones* audiunt et jam dudum noti sunt, cùm propter dialectum peculiarem, tùm propter indolem, quae Vasconica dicitur. Constat haec jactantiâ quâdam, sed absque superbiâ nec ut offendat alteri; porro acuto quidem et celeri ingenio, verùm quod nimis aliquando inventis suis nitatur et delectetur, et splendenti hyperbolâ gaudeat. Ea ingenii forma certe, in viro cultissimo et studiis tam diu intento, magnopere temperata esse debuit, attamen nonnullis locis in operibus perlucere videtur Vasco (1). Huc refero illos locos, ubi e paucis observationibus universales derivat consequentias, e. g. ubi despotismum adoritur, nihil omnino boni sub tali regimine exstare posse adfirmat, dicens omnes despotas ministris res relinquere, otio abjecto vivere, semper male gubernari provincias etc.; porro ubi, vocis similitudine in errorem ductus (quod rarissime fit) *nobilitati* universe adplicat, quod lege quâdam Codicis de Romani Imperii *nobilioribus* dicitur (2); necnon dicteria quaedam, quae Vasconicam jactantiam olent et hyperbolen (3). Nescio an eidem

(1) *E. d. L.* II. 5, ibique Anonymus; III. 10, ubi de religione in despotico regno famosum hocce dictum legitur: »On abandonnera son père, on le tuera même, si le prince l'ordonne; mais on ne boira pas du vin, s'il le veut et s'il l'ordonne." (Cf. *Obs. sur l'E. d. L.* etc., *par M****. Genève, 1752, pag. 15 sqq.) Porro V. 14; XX. 21, passim.

(2) *E. d. L.* XX. 21. Suo more, idem observavit VOLTAIRE, *dial. philos.* XXIV. (*l'A. B. C.*) Entretien I (*sur Hobbes, Grotius et Montesquieu*); »C'est MICHEL MONTAIGNE législateur; aussi est il du pays de MICHEL MONTAIGNE."

(3) Hyperboles haec exempla citare liceat; *Gr. et Déc.* chap. 4: »Après la bataille de Cannes il ne fut pas permis aux femmes même à verser des larmes." — *E. d. L.* XI. 6, de Anglicâ constitutione: »Ce

causae tribuendum sit, saepe adeo capitum rubricas longe plura polliceri, quam ipsis continetur, ita ut, qui capitum tantùm indicem inspexerit, alium longe contentum operis esse existimaret, ac reverâ est (1).

Haecce quum de MONTESQUIVII stylo dixerim, opera ejus majora et seria ob oculos habens, ne quid literariae laudis omittatur, memoranda quoque diversi generis opuscula, quibus scribendis menti quietem quaereret et oblectamentum, dum gravioribus esset occupatus. Fabulas intelligo amatorias seu pastoricias. Harum primum locum obtinet, quod scripsit, dum magistratum adhuc gereret, poëmation solutâ oratione *Templum Gnidi*. Huic, uti fecit D'ALEMBERT, ANACREONTIS aut OVIDII laudes tribuere vereor. Nam in describendâ Veneris aulâ et narrandis pastorum Cypriorum amoribus, non adeo naturales et vividos adfectûs depingit, verùm poëticam illam indolem, quae fictis pastoribus tribui soleret. Hoc leve et facile genus fabulae tempore maxime PHILIPPI Procuratoris, lubentissime legebatur, et naturam eo depingi credebant delicati et corrupti Parisienses. Quam artificiosum autem id genus esset, ipse MONTESQUIVIUS sentire visus est; quum in praefatione hujus

---

beau système a été trouvé dans les bois." — XIV. 2: »Il faut écorcher un Moscovite pour lui donner du sentiment." — XIX. 20: »A la Chine il est permis de tromper." — XIX. 27: »Dans une nation libre il est très souvent indifférent, que les particuliers raisonnent bien ou mal; il suffit qu'ils raisonnent; delà sort la liberté" — etc.

(1) Jactantiam quandam etiam cernit cel. HUGO, *Civilist. Magazin*, VI B. IV Heft. (Berlin 1837) nº. XXX, pag. 575 sqq., in eo quod libri XXVII rubricae addiderit MONTESQUIVIUS haec verba: *Chapitre Unique*; quod ante eum nemo fecerat. Res magni momenti esse non videtur.

poëmatii dicat: »Il n'y a que les têtes bien frisées et bien poudrées, qui puissent comprendre le mérite du *Temple de Gnide.*" Huic subjungitur fabella, de Cupidinis alis locum communem continens (1). Ab his aliquantum differt orientalis, uti dicitur, fabula *Arsaces et Ismenia*, quâ nonnulli putarunt politicum tegi propositum, ac si MONTESQUIVIUS, cernens ad despotismum vergere Franciae regnum, exponere voluisset, quomodo absolutus quoque imperans saluti populi prodesse possit (2). Ansam huic opinioni dedit, quod in eo scripto occurrat descriptio felicis Bactrianae statûs sub eunucho reginae *Ismeniae* ministro. At quum loqueretur ibi auctor ex personâ Medi, aliter dijudicare et depingere debuit, ac in politico opere faceret. Caeterum ex toto fabulae contextu lusus potius ingenii fuisse videtur; neque in ejusmodi narratione fingendâ felix fuit MONTESQUIVIUS. Gravior autem est, quam in pastoriciis, stylus; quem universe ad argumentorum rationem optime solet efformare. Ideo admirati etiam complures *Lysimachum* et biographiam (quam ad finem non perduxit) Marescalci DE BERWICK, licet merae sint factorum expositiones. Unam ab hâc laude excipere liceat orationem habitam quum primùm in academiam admitteretur, quamvis eleganter et artificiose conscriptam. Tunc enim et, de decessore quae diceret, pauca habebat, et aversabatur adulationem continuam potentium, ingeniique, ut ita dicam, monopolium, quae sibi vindicabant XLviri. Hinc de honore, qui sibi obtige-

(1) V. ed. cit. T. VI, pag. 301—357, 358—361.

(2) Ita loquitur Editor in praef. ad *Oeuvres posthumes de Montesquieu* (Paris 1783), item ed. 1805, T. VII, pag. VI.

rat, ita loquitur ut taedium et ironia subluceant (1). Ligato sermone scribere rarò tentavit MONTESQUIVIUS, et quae praestitit, successu caruere (2). Ad familiares tandem, quae supersunt, epistolae, libere et facete scriptae sunt et lectu jucundae, quae sane laudes omnium fere Franciae classicorum stylo epistolari tribuendae.

Jam quid de historicâ scientiâ in specie meruerit Noster, pro viribus exponere tentabo.

---

(1) Exemplo sit haec apostrophe ad collegas: »Effet surprenant de l'art! vos chants sont continuels et ils nous paraissent toujours nouveaux." ed. cit. VII, pag. 93. Cf. *L. P.* 54.

(2) Duo tantum parva carmina inveniuntur ad calcem operum ed. cit. VII, pag. 332 et 336; alterum in laudem Ducissae DE MIREPOIX; alterum mordax in Genuenses epigramma, a quibus, dum eam urbem peragraret, male exceptus fuerat; aliae editiones operum tres aut quatuor cantilenas etiam continent, vix dignas quae legantur.

CAPUT II.

DE MONTESQUIVIO HISTORIOGRAPHO.

§ 1. *Quid initio saeculi praec. desideraretur in methodo historiam scribendi.*

Pauca certe numero neque magni voluminis opera e MONTESQUIVII studiis historicis ad nos pervenêre, attamen quicumque critici historiam saeculi 18i literatam adtenderunt, profitentur magni ponderis fuisse, quae praestitit Noster, novaeque rationi ansam dedisse tractandi historiam politicam (1). Ne tamen hîc MONTESQUIVIO tribuamus, quod anterior aetas jam tulerat, potissimum duxi quaedam memorare de proxime antecedentibus auctoribus et maxime de eo quid in ipsis desideretur.

Fatendum est, si VOLTARIUM audias (2), et historiam

(1) NISARD, *Histoire de la litérature Française* (Paris 1837), pag. 164. SCHLOSSER I, pag. 314: »Ueberhaupt hat die ganze Behandlung der Geschichte seit der Erscheinung des Buchs (*Grandeur et Déc.*) eine ganz andere Gestalt gewonnen." Cf. DE BARANTE, *sur la litérature du XVIIIme Siècle* ap. VILLEMAIN, *Eloge de Montesquieu* (Paris 1817) pag. 62, notâ 4.

(2) *Essai sur les moeurs* etc. chap. 8 med.

et physicas disciplinas post medium demum saeculum 16um enucleari coepisse. Nec errasse videtur, saltem dum hoc judicium ferens ob oculos habuerit historiam criticam et universalem, quam ipse scribere tentavit, (qualicumque tandem cum successu). Namque per saeculum adeo et diutius post renatas literas antiquas, omnes fere Europae viri docti in legendis, interpretandis, promulgandis classicis auctoribus unice versabantur; hoc summum bonum judicantes, immensam doctrinae copiam impendebant, ut singula antiquitatis monumenta, reliquorum ope, illustrarent, de practico usu eorum quae in classicis invenirent parum cogitabant, licet citationibus referta essent eorum opera. — Longe verò absit, ut quicquam laudis detrectare velim viris, qui tam improbo labore, solidum doctrinae aedificium struxêre, quod opportunitatem longius prospiciendi sequenti aevo praebuit. Omnem ejusmodi suspicionem evertent MANUTIORUM, STEPHANI, SCALIGERÛM, LIPSII, HOTOMANNI, similiumque nomina, quae scribenti mihi obversantur. Illud tantùm volui, literatos hosce non potuisse antiquitatem considerare eo modo, ut ejus historia recentioribus denuo fieret, non tantum »testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, nuncia vetustatis" sed *magistra* etiam *vitae*, quod certe summum ejus propositum CICERO intellexit (1). Ab his aequalibus diversus, practicae inprimis indolis vir MACHIAVELLUS ex antiquis scriptoribus flagrans hausit desiderium omnium, quaecumque in Romanâ republicâ praestantiora videbat, quam suo tempore, praesertim in rebus politicis. Ita, solertior ut erat plerisque ae-

(1) *De Or.* II. 9.

qualibus, lepide rogabat, cur rerum ex antiquitatis ruderibus servatarum tantum esset pretium, cur item dicendi genere, et disciplinarum, medicinae et jurisprudentiae docendarum ratione vestigiis instare Graecorum et Romanorum praestantissimum haberetur, imo ad minutias usque consuetudines Veterum admirari discerent omnes eruditi, unice quia Veterum essent, nemo vero prudentiam ipsorum adhiberet in civitate tuendà et gubernandâ. Verùm postea reformidavit ipse MACHIAVELLUS a consilio suo, totius antiquitatis refundendae in corruptas illas Italicas civitates, quas non sine vehementi dolore Romae, saltem liberâ rep. comparabat; suoque tempori magis congruere docuit artem politicam qualem libro *de Principe* exposuit (1). Eum autem antiquae historiae usum, quem sibi scriptor ille proposuerat in quaestionibus Livianis docere, nemo ante MONTESQUIVIUM denuo assecutus est. Qui enim e saeculo 16°. praeclari historici prodière, THUANUS, GUICCIARDINUS, STRADA, GROTIUS, alii, eo imprimis excelluèrunt, quod LIVII, TACITIVE narrandi rationem adhiberent in rebus gestis describendis, quibus plerùmque ipsi interfuerant. Historiae antiquae etiam multi alii praestantes eruditione viri studuêrunt, verùm solummodo in ipsis fontibus, quos ita continuò adibant, ut neque necesse judicarent eas in formam recentiorem redigere nec alia de rebus Veterum judicia ferre auderent ac veteres ipsi. At incredibile videtur, quantum a splendore, quem pollicitae fuerant renatae literae, desciverit historicus stylus per saeculum 17um.

(1) MACHIAVELLI, *discorsi sopra la prima Decade di T. Livio*, I praef. v. cl. C. STAR NUMAN, *diatribe in N. Machiavelli opusculum del principe* (Traj. ad Rh. 1833); p. I, pag. 95.

Aequalium gesta arido eo stylo cancellariae, qui hodie universe reprobatur, memoriae tradebantur. Nec soli elegantiae, veritati etiam ista ratio nocebat. Consueverant enim actûs principum etiam minutissimos amplificare, nec aliis fontibus utebantur isti scriptores, nisi edictis et (paucis numero) diariis *officialibus*. Omnia igitur quae dura plerorumque regiminum ratio iis diebus arcano tegeret, per servilem historicorum calamum posteris etiam subducebantur (1). Imprimis in Germaniâ verae temporum cognitioni obfuit illud malum, non quod in Franciâ liberius scripta fuerit historia, sed innumeri Memorabilium libelli, alio quamvis proposito conditi, veram rerum conditionem ibi detegebant. Quod ad veterem historiam adtinet, quoniam boni quicumque scriptores cùm antiqui, tùm recentiores (exceptis paucis Italis) Latinâ linguâ vel Graecâ usi essent, in scholis tantùm legi et explicari soluêre; caeterùm vix legebantur; nemo etiam ausus eorum vestigia premere. — Historiae antiquae cognitionem extendere ultra Latinizantes supervacaneum habebatur; itaque, quod certe mirum, illi scribendi generi nemo se adplicuit eorum, qui aevo LUDOVICI XIV aureae aetatis nomen meruêre, exceptis FLEURY, cujus Historia Ecclesiastica laude digna habetur, et abbate VERTOT.

Tandem in Angliâ primùm literatorum collegium immensum opus suscepit, Universalis Historiae compilandae, scilicet ut cultiori societati linguâ vernaculâ offerrent quaecumque scholarum industria collegisset. Nullus autem in eo opere cernitur delectus rerum, nulla elegantia; de rebus futilibus longae instituuntur

---

(1) SCHLOSSER, I, pag. 219 sq. et passim in notis.

disquisitiones; nec in indagandis causis seu pragmaticâ historiâ, ulterius procedere quam auctores quorum locos describebant, ausi videntur illi viri docti; denique, quod maximum est vitium, tot tantorumque voluminum taedium lectoris diligentissimi vires superat (1). Hocce quidem vitio longe minus Francici rerum antiquarum scriptores laborabant initio saeculi 18[i] satis multi; at in unum corpus redigere et quantum fieri posset, inter se conciliare antiquos, summum tunc fuisse videtur propositum. Ita negari nequit pragmaticae aut criticae historiae vestigia frustra quaeri in historiâ universali ROLLINI (quae, licet A°. 1740 prodierit et elegantiori emineat stylo, ad compilationes tamen referenda est) aut in Romanâ historiâ, cujus auctores P. P. CATROU et ROUILLÉ (a. 1731, paucis annis ante MONTESQUIVII *Considerationes* etc. primùm editas) gloriantur, se omnem cogitandi laborem lectoribus ademisse, quibus nil restet igitur, nisi ut ipsorum operâ fruantur. Aliud plane consilium prodit, quod MONTESQUIVII supra citavimus dictum: »Non id agendum, ut quam plurima legantur sed ut cogitetur" (2). Porro in

---

(1) Est illud hocce opus, quod Belgice vertit C. WESTERBAEN, Amstelodami 1736 sqq. XIX vol. in 4°. Primum ejus generis fuisse, cerni potest ex praefatione Anglicorum editorum.

(2) Cf. *Hist. Rom. par les RR. PP.* CATROU *et* ROUILLÉ *de la C[ie] de* JESUS (Paris 1731) préface pag. VII. Ubi de desideratâ criticâ arte penes ejus temporis scriptores questus sum, ea tantùm intelligo historica opera, quae in omnium usum conscribebantur. Viri docti, qui historiae Romanae incubuerant, longe jam erant progressi, excolendâ arte non solum criticâ ad bene intelligendos fontes, sed hypercriticâ etiam, ut de fide quâ veteres digni essent, quaereretur. Patet hoc ex op. cit. praef. pag. XVIII sq., ubi varia argumenta refellun-

scriptoribus modo memoratis, quique eorum similes sunt, improbatur, quod maximâ cum voluptate fuse describant militaria gesta, praeliis diu inhaereant, res civiles minori studio referant. Crederes, talibus lectis, historias illas a milite in militum usum scriptas; attamen ecclesiastici plerique erant, qui hujusmodi calamum gererent, in quibus militaris scientia desiderabatur; nec aliud sibi in Imperatorum gestis quaerebant, nisi styli ornamentum. Caeteris tamen hoc respectu praestat abbas VERTOT, qui e recentioribus, Sueciae, Portogalliae historiam tetigit, Melitae totam elaboravit, neque minus notus eleganti narratione conversionum reip. Romanae; attamen quantumvis stylo emineat, ad otiosum illud scriptorum genus referendus, quum reverâ opus hocce nihil contineat, nisi historiae Romanae compendium (a ROMULO ad AUGUSTUM), in quo autem, quotiescumque seditiones, leges agrarias, bella civilia tangit, eleganter et prolixe ea depingit, coloribus sive e LIVIO vel PLUTARCHO sive e suo ingenio desumtis. Abbatem huncce parum curasse an veritati congruerent descriptiones, dum ornatae essent, notum est. Quam parum cultiori societati prodesset, historiam eo modo in linguas vulgares transfundi, egregie ostendit et in compilatores invectus est vir eximie politicus BOLINGBROKIUS, qui celebratis suis Epistolis (primùm ed. 1734) ab antiquae historiae studio dissuadere conatur, historicorum vitia carpendo. Praecipui horum errores, ipso judice, sunt; nimia veterum monumentorum et traditionum religio, fabulae et minutiae, quas absque omni usu nar-

---

tur contra certitudinem Romanae historiae usque ad bellum *Pyrrhicum*.

rationi intexunt; horrida vis doctrinae, quà nonnunquam lectorem fatigant etc. (1). Hae Epistolae brevissimo tempore ante MONTESQUIVII *Considerationes* prodière. Itaque, si quaeritur, quid in hoc scribendi genere desideraretur ante MONTESQUIVII opus de splendore et interitu rei Romanae editum, respondendum erit: »Ea desiderabatur philosophica historiae tradendae ratio, quâ adpareat practicus usus antiquitatis cognoscendae."

Tacendum verò non est, unum duntaxat initio saeculi 18[i]. philosophiam historiae excoluisse, nempe laudatum magis, quam lectum illum JOANNEM BAPTISTAM VICO. Hic enim, quum jam anno 1700 consilium sibi informasset cunctas disciplinas in unam redigendi, anno 1725 Neapoli prodiit prima operis (*Principj d'una scienza nuova*) editio, quae igitur MONTESQUIVII opere est antiquior (2). Et quanquam rite suas sententias tertiâ demum editione (1744) explicuerit VICO, quae multò amplior est, idem tamen in utrâque cernitur studii genus. Erat sane antiquorum lectione nutritus VICO et egregie de historiâ veteri meruit, e. g. ubi ostendit auctores classicos saepius suae gentis origines ignorasse, eoque maxime erravisse, quod heroum nominibus inopportune annales ornarent; porro e mythis antiquissimam societatis conditionem explicare conatus est. Nec inprimis spernendae ipsius conjecturae de initiis Romanorum, de patriciorum et plebejorum

---

(1) HENRY ST. JOHN Lord BOLINGBROKE, *Brieven over het gebruik der Geschiedenis* (Amsterdam 1755), Br. I, III, V, VI.

(2) Cf. VICO, in *Autobiographiâ* praemissâ versioni Germ. *Grundzüge einer neuen Wissenschaft, übers. vom Dr.* W. E. WEBER (Leipz. 1822) pag. *lxxvij* et *cv* (notâ).

diversà origine, de XII Tabulis explicandis ex agresti vitae ratione Veterum, de dominii fundorum generibus etc. quae adeo ignota mansêre aequalibus, ut eaedem sententiae nostro aevo evulgatae plerisque plane novae viderentur (1). Neglectus ille eorum, quae invenerat, impedire etiam debuit, quominus disciplinae prodesset; neque hâc in re culpâ vacavit ipse VICO. Primùm enim eò processit dubitando de historicis antiquis, ut praeciperet, historiam denuo scribendam, *ac si libri non exstarent*, et se confecturum fateretur *universam historiam idealem*. Porro ipsa haec ei foret pars *scientiae novae*, cui nomen *Theologia rationalis civilis divinae Providentiae*; hujus fundamenta jacit 114 thesibus de diversissimis argumentis, quas dein promiscue absque ullo ordine explicat. Hinc evenit, ut de singulis disciplinis in opere singula quaerere nemo queat, quum nihil suo loco inveniatur (2). Itaque, ut verbo dicam, nec VICONIS opus in historica studia saeculi 18i. effectum habere potuit, neque MONTESQUIVIUS eo usus videtur, quum e diverso plane loco doctrinam conspexerit.

§ 2. *Quid opere de magnitudine et interitu rei Romanae praestiterit* MONTESQUIVIUS.

Mecum ipse decreveram hocce § de opusculi illius stylo et distributione commode disputare, historiae Romanae campum, duce A. Nostro perambulans; at su-

(1) VICO, *Grundzüge*, pag. 93—107, 151—157, 264, 462, 486 sqq., 618, 801 sqq.

(2) Cf. id. ib. pag. 2, 101—172, 176, 185 sqq., 586 sq.

bitò viam mihi occludi cerno a validae factionis propugnatore, gloriae portionem, quam MONTESQUIVIUS hucusque pro domino possederat, revindicante, arripiente, lacerante, ut e pannis consutis nova fiant anathemata priscae Imagini offerenda. Viget enim, nec famâ caret, in Franciâ saltem, mirum hominum genus, qui, spretâ notissimâ juris regulâ, quod factum est, infectum reddere velint, atque ita morum doctrinam, politicen, bonas artes excolant, ut continuò urgeant, quam felix foret Europae status, si rediret ad eum cultûs gradum, quò pervenerat, antequam extitisset saeculi praec. philosophia.

Eidem studio adscribendam puto summam voluptatem, quam sibi fore fatetur saevus ille Criticus, si magni BOSSUETI laudibus quippiam addere possit in detrimentum viri, quem, etiamsi nil praeterea in ipso reprehendendum foret, complures certe conversionis Francicae fautores laudârunt (1).

Nec flocci pendendum vituperium, quo MONTESQUIVIUM premit, eum scilicet inauditi plagii literarii accusans, ac si omnes sententias opusculo de Romanâ republicâ expressas sumsisset ex uno vel duobus BOSSUETI capitibus. (Citat N. *Hist. Univ.* cap. II; sed procul dubio intelligenda sunt Partis III, cap. VI et VII). Nec dubitando locus esse videtur, quum utriusque scriptoris periodos integras describat. Attamen pro reo MONTESQUIVIO quaedam observanda arbitror.

Primùm igitur toto coelo diversa sunt consilia, quibus

---

(1) Ob oculos habeo disputationem quandam, cui titulus; BOSSUET *et* MONTESQUIEU, subscr. N. Invenitur ea in *Gazette de France*, 2 et 9 Mars 1836 (*Etudes littéraires*).

ducti, alter ut historiam universalem, alter ut historiam Romanam tractaret. Scripsit BOSSUETUS in usum regii principis, cui ipse ait ideo discendam esse historiam, cùm ut ne principum gesta praeterita ignoret, tùm ut manifestior ei fiat Dei gubernatio in fatis populorum. Porro narrationem eo consilio disposuit, ut orbis antiqui, ut ita dicam, centrum ipsi sit gens Judaica et post hujus ruinam, ecclesia Christiana; harum aut gloriae aut humilitati promovendae inservire arbitratus quaecumque variis populis acciderent.

Itaque in diserto illo Sacri Oratoris specimine omnia, quae humanae prudentiae sunt, nonnisi in digressionibus fortuitò locum obtinere possunt. Neque spatium datur criticae fontium, quum gravissima solùm et universe nota facta, quae referunt sacri et profani classici, nobili et solemni orationis cursu exponat auctor (1). MONTESQUIVII ingenio non placebat ita enarrare populorum res gestas, ut ex iis nihil nisi obstupescere et voluntati divinae parere discamus; causas et infortuniorum et felicium successuum, quae homines experti essent, quaerendas censebat in bonis malisve ipsorum consiliis, eamque scientiam prodesse ut a praeviis erroribus postmodum abstinerent. Pragmaticae igitur his-

---

(1) Cf. BOSSUET, *discours sur l'hist. univ.* praef. Unicus locus, ubi fontium criticâ utatur, est P. I, cap. VII, ubi probare tentat Hebreos auctores melius, quam Graecos, cognovisse Assyriorum Medorumque conditionem. Quomodo Summum Numen cunctas res terrestres gubernaverit Hebreorum et ecclesiae gratiâ, fusius exponit p. II. Rubrica p. III, cap. I, fert: »Les révolutions des empires sont réglées par la Providence, et *servent à humilier les princes.*" Carpit hanc rationem historiae scribendae VOLTAIRE, *Essai sur les moeurs,* avant-propos; *le Pyrrhonisme de l'histoire,* Chap. II.

toriae studiosus, ejus periculum fecit percurrendis, et suo philosophico more illustrandis gestis populi inter omnes celeberrimi, de quo ita ad familiarem scripsit: »Rome *antica e moderna* m'a toujours enchanté" (1).

Jam quum praeclari illi duo scriptores variis adeo consiliis ducerentur, negat tamen Criticus, MONTESQUIVIUM quicquam confecisse, nisi paraphrasin fragmenti illius *Bossuetani*.

Incipit adferendo utriusque locos de crescenti potentiâ et gloriâ Romanorum. Haec autem sunt, quae in ambobus operibus invenit: 1°. Romanos fortes fuisse, constantes, patientes laborum (2); 2°. patriam, praesertim urbem Romam, supra omnia amasse (3). Certe non multo acumine ingenii opus est, ut quis talia excogitet, neque plagii literarii speciem referunt.

Verùm animadvertet unusquisque lector, dum solemnem episcopi elocutionem miratur, Jurisconsultum nostrum facili et concinno stylo etiam notissimis rebus vividos novosque colores addere. Sic opusculi Cap. 3 et compluribus locis majoris operis, ita describit vitam antiquorum publicam, publicis negotiis unice ferme occupatam, quia reverâ apud eos publicum lucrum omnibus et singulis emolumento cederet, ut lectorum captum non amplius excedant facta heroica, quae patriae amorem flagrantem in antiquis civitatibus testantur; item explicat, cur haec *κατ' ἐξοχὴν virtus* apud Veteres dicatur (4).

---

(1) Ita scripsit Priori Melitensi DE SOLAR, *L. F.* 28.

(2) BOSSUET, op. cit. P. II. Cap. 6, pr. MONTESQUIEU, *Gr. et Déc.* passim.

(3) BOSSUET lc. *Gr. et Déc.* ch. 3.

(4) Ea est virtus politica, de quâ agit *E. d. L.* III. 3. Cf. IV. 5 et 6; XI. 17; XXVII principio.

Apud Romanos omnium vota tetendisse ad agros publicos capessendos, servosque et pecora quibus eos colerent; eum reipublicae amorem maximopere refrigeratum in plebejorum animis, quamdiu ipsi reverâ rei publicae non essent participes; ea omnia suâ ratione, id est, hinc illinc omnigenis exemplis collatis, exponit MONTESQUIVIUS. Tum porro cap. I, depictâ antiquissimâ Romae sub Regibus conditione, quamdiu praedonum victu usi fuerint Romani ostendit, omnesque turbas de praedae divisione ortas; nec veretur TARQUINIO meritas laudes vindicare et priorum historicorum sententiae adversans, in Regibus ejectis, non libertatis, verùm patriciatûs victoriam cernere (1). Porro desumtum e BOSSUETO dicit N.; 3°. fortitudine bellicâ et disciplinâ militari ab hostibus victoriam reportasse Romanos. Quâ in re tamen illud discriminis observat criticus, quod BOSSUETUS magis ad moralem vigorem et audentiam, MONTESQUIVIUS corporis robur adtenderit. Sufficit talis observatio ut nobis persuasum sit, suam quemque viam esse secutos, imprimis si addas BOSSUETUM ll. citt. de constantiâ ducum et imperantium in rebus patriae adversis egisse, nostrum A. contra minutiis tenus exercitia descripsisse, quibus valida adeo et robusta corpora sibi informarent bellatores (2). Quem morem universe sequens, clades vel victorias populorum lubenter causis physicis, armorum ponderi, corporum exercitio, situi regionum etc. adscribit. At N. propo-

(1) Ita paululùm abfuit in hoc opere MONTESQUIVIUS a sententiâ eorum, qui antiquissimas leges et res gestas Romanorum sic explicent, ut duae nationes fuerint patricii et plebeji, ut mirum sit, ipsum eo non processisse. Hinc quoque existimarem eum non legisse VICONIS opus.

(2) BOSSUET, cap. 6 med. *Gr. et Déc.* c. 2.

siti tenax: »Saeculi 17i. hominem, inquit, imitatus est homo sequentis aevi; verùm, uti per illud dominabatur mens, ita per hoc, imperium carnis praevaluit." — 4°. in eo conveniunt auctores, quos comparamus, senatûs prudentiâ politicâ ita in immensum crevisse imperium Romanum. Hâc de re fuse egit BOSSUETUS; paulo fusius noster; at hic multo plus mali de S. P. Q. Romani consiliis dixit, quam alter. Nec mirum; acutissimo ut erat ingenio, novam continuo lucem historiae adfundebat. Jam ubi decessores omnes a Romanis scriptoribus de priscâ fide gloriatis falli sese passi fuerant, vidit MONTESQUIVIUS (1) eodem fraudulento modo et vicinos suos oppressisse Romam primis reipublicae temporibus, et longinquis gentibus imperium suum obtrudisse; neque igitur de degeneratis moribus publicis querendum fuisse. Explicuit item, quam vere Romanorum artem politicam definiverit poëta:

»Parcere devictis et debellare superbos,"

Quantumque astutiae et superbiae huic placito inesset. Ita ubique audax apparet criticus, quoties de ratiocinio aut observatione antiqui auctoris agitur; totam vero factorum seriem false a priscis tradi potuisse, ne in mentem quidem ei, ut puto, venit. Nec minus nova aliis capitulis docet, quando de singulis bellis agit, HANNIBALIS gesta exempli causâ, mirâ brevitate, ita tamen enarrans ut plane aliud judicium de eo ferre discat lector, ac LIVIUS tulerat (2).

---

(1) BOSSUET, cap. 6 extr. *Gr. et Déc.* c. 6.

(2) *Gr. et Déc.* ch. 4 med.; 5 princ. Cf. LIVII *Hist.* XXI. 4; XXII. 51; XXIII. 18. STUART, *Rom. Gesch.* (ed. 1824) IV, p. 341, 380, quique ibi recentiores citantur.

Vereor, ne, dum duram repellere velim contumeliam, eò abducar, ut panegyricorum more nil nisi elegans et laudabile in opusculo hocce inveniam. Attamen altera adhuc restat scriptiuncula, quâ perhibet N., causas interitûs imperii Romani item esse e BOSSUETO petitas. Hîc denuo quibusdam conveniunt. Dixit uterque 1°. discordias civiles exitio fuisse Romanae reipublicae. Hocce effatum dum exponeret, reverâ MONTESQUIVII calamo excidit observatio, quam apud BOSSUETUM quoque reperimus; scilicet, homines tantae audaciae in bellis exteris, quantae Romani fuêre, vix potuisse domi quietam vitam agere (1). Verùm hîc subsistit episcopus; noster contra, ulterius progressus, ostendit non illud ipsum, quod factiones adessent, rempublicam pessumdedisse, sed illud, quod privati ipsis usi sint ad constitutionem evertendam. At haec forte ampliatio vocabitur eorum quae jam BOSSUETUS protulit. Quid igitur dicendum de eodem, ubi (l. c. cap. 7 medio) sine ullâ distinctione, de primis discordiis patrum et plebis, atque de bellis civilibus usque ad CAESAREM loquitur? Nescio an ita opinarentur alii eodem aevo viri docti; at luce clarius patefecit MONTESQUIVIUS, patriciorùm et plebejorum lites plane, sublatâ causâ, cessasse, ex quo leges *Valeriae, Licinia, Hortensia*, aliae latae, atque communicati cum plebejis magistratûs; porro optimates nobilesque, quos adorti DRUSUS et GRACCHI, aliud longe hominum genus fuisse ac antiquos patricios. Nec praetermittenda ejus conjectura, ideo MARII demum tempore in tantum bellum exarsisse discordias, quod tunc demum, communicatâ cum sociis civitate, tota Italia factionibus sese

(1) BOSSUET, chap. 6 extr. *Gr. et Déc.* chap. 9 med.

immisceret (1). Reliqui loci, quibus N. utitur ad thesin suam probandam, eas continent animadversiones, quae, lectis antiquis historicis, unicuique facile ob mentem versantur, nec rem praecipuam ullo modo spectant; uti 2°. Senatum aliquoties bellum suasisse, ut plebem averteret a seditionibus; 3°. milites inde a Mariano bello plus a duce suo, quam a rep. exspectasse; 4°. Romanam civitatem minoris pretii fuisse aestimatam, ex quo cum toto orbe terrarum communicata fuerit. Desinit tandem critici disputatio eximie laudando BOSSUETI epilogum de providentiâ fatisque nationum. Et hunc et totum opus nemo est, quin laudibus efferat, sed inauditum hucusque fuerat, in eo historiae philosophicae specimen quaeri.

Jam ne a MONTESQUIVIO aberremus; is in notandis labantis Romani imperii causis, illam secutus est methodum ut sedulò evitaret vulgarem errorem, omnia ex uno principio ducendi; itaque quoties aliam aetatem describat, alia etiam continuò ob oculos ponit vitia, aliam agendi cogitandique rationem Romanorum. Iis potissimum interitûs causis animum adtendit, quae e malis consiliis vel corruptis moribus, itaque ex homi-

(1) *Gr. et Déc.* c. 8: »Lorsque les plebéiens eurent tellement abaissé les patriciens, que cette distinction des familles devint vaine, et que les unes et les autres furent indifféremment élévées aux honneurs, il y eut de *nouvelles disputes* entre le bas peuple agité par les tribuns, et les principales familles *patriciennes et plebéiennes*, qu'on appelait les nobles" etc. — Aperte contrarium ait BOSSUET, c. 7 extr. *Optimates* minime confundendos cum *patriciis*, magis etiam adparet, si inspiciamus SCHOTIUM, *de gentibus Romanis* (subj. ROSINI *Ant. Rom.* Amstelodami 1743), pag. 904 sqq.; ibi ad plebejas gentes pertinuisse leguntur e. g. METELLI, LUCULLI, CRASSUS, OPIMIUS, POMPEJUS, M. et D. BRUTI, multique quos ad Optimates referre nemo dubitat. De civitate communicatâ cum Italis v. c. 9.

num imprudentiâ originem duxêre. Sic autem eo munere fungitur (1), ut saepe novum et inexspectatum quid legenti offerat. Si exempla desiderantur, legatur c. 2; ubi docet, nec POMPEJI nec CAESARIS ambitione periisse rempublicam, sed libertatem numquam servari potuisse ex quo SYLLA militibus agros Italicos distribuendo, Romam obnoxiam reddidit factiosis copiis, quas ne sacramentum quidem ligaret; paulo infra summâ cum arte paradoxon illud tuetur MONTESQUIVIUS, bellis civilibus non tantopere debilitari populum, quanto per imperium despoticum, quod ipsi imponatur; dein observandum, quod cap. 14 legimus, falsò quosdam opinari, TIBERIUM Senatum deprimere voluisse, quum contra abhorruisse videatur a sordidis ejus adulationibus, dum simul, mirâ disparitate ingenii humani, obsequentiam posceret plenam etc. At quid plura? haud puto opusculi ita universe noti analysin dari oportere; neque illud commentario indiget, nec plures ejus censores inveni; nam contra, severi etiam MONTESQUIVII critici in hoc libro solitâ majorem ἀκρίβειαν ipsius admirantur.

Huc referendus ERNESTIUS, de cujus observationibus, licet locos operis *de Ingenio Legum* spectent, hîc verbo monendum duxi, quia tantùm de historiae Romanae quaestionibus agens, errorum et neglectae debitae curae Auctorem N. arguit (2). Decem circiter mendas eo in genere tangit, de quibus severissimum judicium fert; nec vitiis carere eos locos, de omnibus

(1) *Gr. et Déc.* c. 10—23.

(2) V. *Animadversiones philologicae, in librum Francicum de Causis Legum* in J. A. ERNESTII, *opusc. philol. crit.* (Lugd. Bat. 1764) pag. 53 sqq. Cf. VOLTAIRE, *Commentaire sur quelques princ. maximes de l'E. d. L.* chap. 16 sqq.; at de hoc infra agendum.

fere ostendere valuit. Caeteris igitur licet assentiar, durius tamen, ut puto, aliquoties carpit MONTESQUIVIUM, e. g. quod vocem *jurisdiction* latiori sensu sumsisset, illic usurpans, ubi Latino sermone *judicium* vel *imperium* posceretur; item quod usus sit verbo *prendre*, de sortiendis judicibus a quaesitore loquens. Attamen Francico scribenti talibus verbis uti licuit (1). Nec etiam adhaerendum putem duris reprehensionibus, quibus N. Auctorem onerat ERNESTIUS, quod *E. d. L.* XI. 18 notâ 4, tradiderit tribunos plebis aliquando judicandi potestatem sibi arrogasse, haud sine magnâ invidiâ, citato libro XI DIONYSII HALICARNASSEI, ubi c. 46 judicium in AP. CLAUDIUM Xvirum institutum memoratur. Jam ait ERNESTIUS totius antiquitatis ignarum esse debuisse, qui talia adfirmaret, nec locum DIONYSII intellexisse, quippe qui dicat tribunos plebis APPIUM accusasse judice populo. Attamen solito majori potestate usos tribunos hîc adparere videtur; nam accusatorem ejus designarunt collegam suum VIRGINIUM, ἄνευ κλήρου, qui insolitus erat modus; porro LIVIUS (2) memorat, APPIUM, dum jussu tribunorum in carcerem duceretur, »Provoco" clamasse (populum scilicet) quae vox appellantis est a judice ad superius tribunal (3). Tandem, quod summi videtur momenti, DIONYSIUS l. c. ait, plerosque opinari APPIUM jussu tribunorum in carcere occisum ac eodem cap. extr., M. DUILIUM trib. pl. legem tulisse de non persequendo caeteros maleficos, ἀχθομένων

---

(1) ERNESTI, lc. pag. 56 et 61. *E. d. L.* VII. 11; XI. 18.

(2) LIV. III. 56.

(3) BRISSONIUS, *de verborum signif.* in v. *provoco.* SCHELLER in lexico, eâdem v.

ἤδη τῶν πολιτῶν. Fatendum quidem est verum judicium, quale praetorum erat, non constituisse haec omnia; sed proxime ad magistratuum imperium accessisse potestatem tribuniciam et e GELLIO derivare licet, qui dicat *antiquitus prehensionem sed non vocationem habuisse* tribunos plebis, (itaque postea vocationem etiam); et e DIONYSIO, qui memorato CORIOLANI judicio addat: *Καὶ ἀπ᾽ ἐκείνου τοῦ χρόνου τοῖς ὕστερον λαμβάνουσι τὴν τοῦ δήμου προστασίαν, ἔθος κατέστη, καλεῖν οὓς δόξειε τῶν πολιτῶν δίκην ὑφέξοντας ὑπὸ τοῦ δήμου* (1). Illam igitur juris dicundi partem sibi sumebant tribuni in criminibus majestatis, quae hodie *cameris accusationis* mandata est. Obiter vero haec dicta sunto, ne infrâ de illo magno opere acturum morentur.

Nunc instat, ut spectemus, quem ei salutarem effectum in historiae scribendae rationem tribuere liceat. Est autem in promtu, praestantium historicorum nullum tempus feracius fuisse, quam alteram saec 18[i] di-

(1) GELL. N. A. XIII. 12. DION. HAL. VII. 65. Exemplum ERNESTII secuti sunt duo etiam ejus aetatis philologi; CREVIER, in *Obs. sur l'E. d. L.* (Paris 1764) pag. 9—69 et BACHIUS, in *Unparteiische Critik ü. Jur. Schr.*, B. II. Stück III (Leipzig 1751) n°. III; item B. III. St. II. n°. IV; B. III. St. V. n°. V (1752). At quominus de his criticis ex industriâ disseram, vetat eorum ratio. Quippe CREVIER vix aliud nisi minutias carpit, quales sunt orthographiae, chronologiae parva vitia; BACHIUS graves quidem quaestiones circa Romanorum leges agitat, sed potius ut suam de re controversâ sententiam adstruat, quam ut reverâ errores in MONTESQUIVII opere detexisse dicatur. Una tamen inter mendas a CREVIERIO reprehensas, mentione digna est, quod scilicet MONTESQUIVIUS, *E. d. L.* XXI. 11, de foedere inter Romanos et Carthaginienses icto post bellum Punicum primum, ea narraverit, quae referenda essent ad pactum de mercaturâ eorumdem populorum, a. U. 245, cujus mentio fit apud POLYBIUM, III. 21 sq.

midiam partem, maxime in Franciâ et Angliâ. Quantum fructûs singuli e MONTESQUIVII exemplo hauserint, definitu admodum difficile foret; attamen multi facienda vis illius exempli, et si alterutri is honos tribuendus sit, certe potius MONTESQUIVII *considerationibus*, quam BOLINGBROKII *epistolis* supra memoratis assignandam putarim causam rationis ejus philosophicae, quâ saeculi 18[i] historiographi eminent. BOLINGBROKIUS enim, dum patefaceret vitia priorum scriptorum, effecit, ut cultiores homines historiarum lectores desiderium sentirent operum ejusmodi, quae practicas observationes et sanam criticen et perspicuitatem omnium captui accommodatam junctas haberent; talium, ut verbo dicam, quale MONTESQUIVIUS condidit. Ipsam scribendi et inprimis cogitandi formam Noster aequalibus ostendit. Ex quibus ante omnes nominandus VOLTARIUS, quem hâc in arte junctim cum Nostro *dominatum esse* per totum fere saeculum praec. celeberrimus animadvertit criticus(1). Licet autem de reliquis operibus historicis dubitemus, certe tamen *historiam universalem* seu *specimen de gentium moribus*, quaeque cum eo cohaerent minora scripta (2), debemus studio novam lucem rebus gestis

---

(1) JOSEPH DE CHÉNIER, *Tableau historique de l'état et des progrès de la littérature Franç., depuis* 1789 (ed. Parisiis 1835) chap. V, pag. 118: »Deux hommes de génie dominaient alors. MONTESQUIEU décrivait la *Grandeur et la Décadence* du plus important des peuples anciens, comme un Romain survivant à Rome et regrettant la république sur les débris même de l'empire. A la brillante *histoire de* CHARLES XII, VOLTAIRE faisait succéder *l'Essai sur les moeurs des nations*, et le *siècle de* LOUIS XIV, monumens immortels, qui ne lui laissent aucun rival entre les historiens modernes. Il est le chef d'une école" etc.

(2) Scilicet operi praemissam *Philosophie de l'Histoire*, anticrisin

affundendi, quod MONTESQUIVII liber quam maxime potuit excitare. Omnia fere novâ ratione intuetur, rapido cursu historiam antiquam perlustrans, quicquid ad recte cognoscendos mores ex institutis, legibus civilibus et publicis congeri potuerit, colligit; in criticâ arte fontibus antiquis applicandâ longe audacior est, quam priores omnes. Quod porro VOLTARII *disputationi de gentium moribus* exprobrari solet, quod scilicet lectores suos docuerit arroganter judicare de rebus, nequâquam debitâ curâ investigatis, id certe non a MONTESQUIVIO accepit. Nam mendae, quae huic vituperio ansam praebuêre, ducendae videtur ex VOLTARII perpetuâ contentione adversus historiam Hebraicam, ecclesiam Christianam et omnia, quae eò pertineant. Scribit alicubi se BOSSUETI vestigiis insistere velle; ironice procul dubio; hoc tamen cum sacro oratore commune habet, quod cuivis capitulo, quamvis alîus argumenti, adplicationem intexat religiosam; semper, puta, ut infirmet dogmata et traditionem cultûs, qui revelatus dicitur (1). Hinc antiquitati reliquae non eam industriam navavit, qualis e. g. in ejusdem historiâ LUDOVICI XIV et parlamenti Parisiensis cernitur. E compluribus Europae scriptoribus, qui laudem sibi pragmaticâ historiâ excolendâ consecuti snnt, admodum

---

Défense de mon oncle, et serius publicatum *lè Pyrrhonisme de l'histoire*.

(1) Ita in *Philosophie de l'histoire*, capite cujus rubrica fert *de Victoriis Romanorum*, vituperat MOSEM, quod suae genti numerum armatorum adscripserit centies majorem, quam quo Roma gauderet initio reip. liberae — porro op. cit. extr. et *Essai* etc. chap. VIII sqq. varias causas memorans labantis imperii Romani, nullam fuse adeo exponit, quam religionis Christianae propagationem.

pauci illud ipsum scripturae genus, *Considerationum* scilicet, adhibuere. Ex his praeclarus est ROBERTSONUS cujus *introductione ad* CAROLI V *historiam*, similiter fere invasio barbarorum et medium aevum delineantur et investigantur, ac MONTESQUIVIUS de antiquioribus scripserat. Plus etiam doctrinae continet *Introductio* illa. Porro ejusdem propositi speciem ferre videtur opus nostratis SIMONIS STYL, *de ortu et prosperitate Belgii*, quod historiae philosophicae eximium nostro sermone est monumentum. Eòdem fortasse tendere voluit RAYNAL, brevi suâ *historiâ parlamenti Anglici;* si conjicere ita liceat ex animadversionibus hîc illic insertis, sed quae non admodum narrationem ornant (1). Deinde, inprimis postquam prodiisset opus docti MABLY de mutationibus regiminis Francici, libelli complures editi sunt, quibus de historiâ Franciae eâ formâ philosopharetur, verùm hosce non puto ad hunc locum pertinere, quippe qui aperte scriberentur ad hanc illamve notionem politicam prius conceptam argumentis nonnullis confirmandam.

Sed uberiores etiam fructûs MONTESQUIVII exemplum tulit; nullus enim dubito, saepius lectis cùm ipsius, tùm VOLTARII scriptis rationem illam historiae tractandae tribuere, quae in clarissimis eo aevo scriptoribus adparet. Hujus autem rationis proprius character hic videtur: »reve-

(1) E. g. ubi pag. 141 (ed. Londini 1749) observat, Anglos omni tempore maluisse reges nullâ laude dignos, quam praestantes; scilicet ob periculum libertatis; idque observat, modo memoratâ conversione, cui ansam dederat EDUARDI II nequities. Mox (pag. 162) memoratâ caede ISABELLAE, quam jussu filii EDUARDI III factam adfirmat: »Et," inquit, »la justice le permettait à un roi, mais la nature le défendait *peutêtre* à un fils."

rentia veterum fontium, sed junctâ summâ prudentiâ, quum abhorreant a mythis et miraculis philosophi; elegans factorum narratio; doctrinae et criticae, ubi requiruntur, usus; sed in talibus locis magna breviloquentia, ut lectoris taedio parcatur; porro observationes plurimae intextae de moribus deque felicitate populorum." — Studium etiam consilia dandi et praecepta, majus minusve cernitur pro vario singulorum auctorum ingenio. Si moris esset, historicos, uti philosophos, scholarum nomine distinguere, recentiores illi qui praecessere MONTESQUIVIO, partim ad *classicam*, partim ad *rhetoricam* referri possint scholam, prouti Veteres imitari aut rhetoricis floribus ornare narrationem maluerint; at saec. 18°. medio *pragmaticam* floruisse scholam dicendum foret. Eximius inter hosce est GIBBONUS, non quoniam hîc illic ratiocinia ex Auctoris N. opusculo adferat (1), sed quoniam in explicandis causis interitûs rei Romanae mire cum eo consentiat, imo complures loci aperte lectum assiduo MONTESQUIVIUM prodant, e. g. Hunnorum descriptio (quamvis centies plura contineat) (2). Paulò diversa forma ROBERTSONO propria in majoribus operibus. At in Angliae historiographo HUMIO et ubique perlucet philosophia Francica, et hinc exempla duxisse credendus vir, qui cultae Parisiensis societatis judicia magni faciebat, indeque consolationem accepit, quum in patriâ debita laus negaretur (3). Dein, quam dixi, rationem invenimus in MABLYI jam laudato

---

(1) *History of the Decline and Fall* etc. chap. VII.

(2) Ib. ch. XXVI, coll. *Gr. et Déc.* ch. 19.

(3) SCHLOSSER, II, pag. 439. *Life of* D. HUME, *written by himself* praem. ejusd. *Hist. of England* (ed. Londini 1824).

opere, necnon in historico TAILHIÉO qui ROLLINI scriptum concinnius reddidit. Nemo autem MONTESQUIVII studium aperte adeo prodere mihi videtur, ac RAYNAL in celebratâ ipsius *historiâ utriusque Indiae*, ubi identidem placita sive ex *Considerationibus* sive ex *Ingenio Legum* petita fuse explicat, et saepe ostendit se libri sui praecipuam partem ducere morales et politicas observationes, quibus intexuit factorum narrationem. Similia fere dicenda *de Cursu historiae antiquae* philosophi DE CONDILLAC. Celebres porro multi scriptores historiam Romanam tractârunt et universalem, ex quibus recensere sufficiat nomina FERGUSONI, HOOKERI, MILLOTI (qui tamen longe minus quam reliqui, philosophicae historiae studuit), nostratis denique, quem avum veneror, STUARTI, qui saepissime MONTESQUIVII effata citavit, symboli loco capitibus praefigens. Sic universe, quicumque fere historiâ scribendâ excelluêre per saeculum 18um, produnt philosophiâ illâ practicâ sese imbutos vel saltem tinctos, cui primam dedit impulsam laudatum Nostri opusculum.

Ne autem tanta merita commentis augere dicar, cavendum ne vim ejus exempli longius extendam, quam par est. Exeunte saeculo praec. et hujusce initio, cùm in antiquâ tùm in recentiori historiâ tractandâ novum extitit scriptorum genus, quod hodie omnium fere suffragiis praestantius judicatur, licet saeculi 18i meritis gratus non desit animus. Post Francicam conversionem multa, quae antea quoties observarentur, praeclare excogitata apparerent, ad locos communes relata. Timuêre etiam complures ne frequenti theoriae usu, factorum cognitio in deterius abiret. Tunc item HEERENUM, MÜLLERUM, SCHILLERUM protulit Germania, SISMONDIUM

aliosque (inter quos eminet DARU, Venetiae historiographus) Francia, qui et interius etiam perspicere enixi sunt populorum veram conditionem, et maxime sese adplicuêre medii aevi studio, quod a prioribus philosophis ex industriâ contemtum esse cernerent (certe non MONTESQUIVII exemplo). Tum porro narrationis vividae, imo dramaticae et romanensis coloribus ornare coeperunt, quae e neglectis antea annalibus petiverant; atque ita lectores allicere nostri aevi auctoribus proprium videtur (1). His jungas criticen audaciorem veterum fontium, ut historia quoque antiqua restaurari debuerit, quâ in re nomina maxime NIEBUHRII, HUGONIS etc., clara sunt, quaeque multum effecit, ut sentiretur universe quantum doctrinae requireretur ad res gestas rite scripto condendas.

Hîc igitur subsistendum; nec puto angustum nimis campum me MONTESQUIVII laudibus adsignasse, quod ad historiam pragmaticam. Jam, quae diverso plane respectu in historicâ disciplinâ praestiterit, videamus.

§ 3. *Quid* MONTESQUIVIUS *meruerit de historiâ Franciae.*

Aliud enimvero est historiam satis universe notam et a viris doctis illustratam novo, ut ita dicam, colore tingere et vivido stylo ornare, aut popularem magis et utilem reddere; aliud plane, controversis historiae locis lucem affundere et antiquos fontes criticâ arte perlustrare. Adeo haecce diversa sunt, ut diversi ingenii

---

(1) Cf. *Mad.* DE STAEL, *de l'Allemagne,* p. II, chap. 29. CHENIER, op. cit. ch. V, pag. 149—159.

homines requirere videantur. Prius videmus maxime in Romanâ historiâ a MONTESQUIVIO praestitum; jam prosequar ejusdem arduos sane labores in Franciae antiquis institutis indagandis, non ut judicium audacter feram de ipsis, quas tetigit, controversiis, sed ut patefiat: 1°. quid ad scribendos extremos operis *de Ingenio Legum* libros MONTESQUIVIUM compulerit; et 2°. quibus maxime principiis nitantur, quae scripto condidit.

I. Haud sine causâ libris illis XXX et XXXI de scabrosâ maxime et obscurâ historiae Francicae parte agitur. Satis enim lucide e scriptoribus, qui dicuntur, ferreae Latinitatis apparet, qualis fuerit Galliarum status tempore labantis Imperii Occidentalis; multi itidem novum Imperium sub CAROLO MAGNO depinxerant et nôrat unusquisque hinc derivatam esse feudalem Europae constitutionem, at quot quantaeque intercedere debuissent mutationes, ut tota regni facies ita converteretur, parum erat explicitum. Neque mirum adparebit, si prius cernamus, qui ante MONTESQUIVIUM de eâ aetate scripserint. Praecipui scilicet eorum, qui historiam Franciae ab initio tractassent, fuerant saec. 17°. medio MÉZÉRAI, et initio saeculi 18^{i}. abbas DANIEL. Illius *breviarium chronologicum* severam saepius criticen tulerat ob neglectos fontes complures et quod de solis ferme Regum vitis ageret (1); hic religionis et principum fatis unice intentus et, ut narrationem suam ornaret, fusius praelia describere solitus, parum lucis antiquae regni

(1) Cf. BAYLE, *dict. hist. et crit.* (Rotterdam 1715) III, pag. 18, notâ D. *Le Cte* DE BOULAINVILLIERS, *lettre I sur les Etats-Généraux* (subj. ejusd. *Hist. de l'ancien Gouvernement de France*, Hagae et Amstelodami 1727) I. pag. 195 sqq.

conditioni adfundere valuit (1). Ab ejusmodi scriptoribus summi momenti quaestiones ad memoratam epocham pertinentes negligi debuêre. Verùm ex industriâ eas explicare conati auctores duo, magni nominis uterque, quorum operâ si viderimus, quid effectum sit, mox perveniemus ad ea, quae ipse praestiterit MONTESQUIVIUS. Sunt ii DE BOULAINVILLIERS et DUBOS, ille nobilitatis, privilegiorum et ordinum generalium patronus seu praeco, uti nostras ait KLUIT; hic novi plané systematis historici auctor, quo democratiae in Franciâ monarchiam absolutam superstrueret (2). Namque Comes DE BOULAINVILLIERS, utilissimum patriae fore judicans, si regni proceres regiminis essent participes, historiam Franciae adiit eo unice consilio ut in ipsâ inveniret ab antiquissimis inde temporibus constitutionem exstitisse qualem ipse cernere cupiebat (3). Notiones, quas eâ de re sibi informavit, huc redeunt.

Franci, duce CLODOVEO, Gallias invadentes et omnes terras sibi sumsêre, et in servitutem redegêre omnes incolas.

---

(1) Id. ib. I, pag. 200 sqq.

(2) KLUIT, *Hist. der Hollandsche Staatsregering*, IV, pag. 219. Cf. judicium quod de iis scriptoribus fert MONTESQUIVIUS, *E. d. L.* XXX. 10. Scripta, quibus opiniones hâc de re prodidêre, sunt; Comitis DE BOULAINVILLIERS, opus citatum, III voll. in 12°; porro multi loci in ejusd. *Mémoires présentés à Mgr. le duc d'Orléans*, etc. (Hagae 1727) II voll. in 12°.; et *Hist. de la Pairie par* D. B. (Londini 1740) un. vol. in 8°. quae easdem refert sententias, licet nonnulli viri docti eam cuidam J. LE LABOUREUR adscribant. Cf. BARBIER, *Dict. des anonymes et pseudonymes*, II, pag. 85 (*a*). Abbatis DUBOS huc spectat *Hist. Critique de l'Etablissement de la Monarchie Française dans les Gaules* (Paris 1734) III voll. in 4°.

(3) *Mémoires*, I, praef. et pag. 12. Cf. GUIZOT, *Hist. de la civilisation en France* (*Cours d'Hist.*, V) leçon III princ.

Regem sibi praefecerant, quia belli duce indigebant, at huic distributionem regionis devictae aut absolutum regimen mandare minime voluêre. Rex junctim cum *nobilibus* regere debebat, et, (qui magnus hujus scriptoris error est), eo nomine totum populum designat; adeo ut *leudis*, *nobilis*, *Salius*, *Francus*, *dominus*, ipsi synonyma sint; item Gallos omnes servos fuisse putat, nisi ecclesiastica munera nacti ex istâ conditione emersissent, aut a dominis manumissi solum regem sibi imperantem haberent. Romani, ex ejus opinione, ejecti vel caesi (1). Arguunt tales mendae Comitem DE BOULAINVILLIERS neglecti studii Germanicarum legum, ubi et Romanos liberos et de Francico populo servos invenisset, et confirmant MONTESQUIVII judicium, eum exteriora tantùm historiae lineamenta novisse (2). Ab his autem principiis ne minimum quidem recedit; ducit hinc, ad beneficia victricis gentis referenda esse judicia parium, terrae dominium, jus belli privati (manuarium) et Regum electionem; absque comitiorum consensu, de legibus, de pace belloque statuere nil potuisse Regem, nec unquam jure aliquid detractum fuisse privilegiis populi victoris, adeo ut adfirmet extra Regis potestatem positum, nobilitatem conferre; et absurdum judicet, inde a PHILIPPO IV in ordinum coetum admissos servilis originis municipes. Quum autem proximo post invasionem

---

(1) *Hist. de l'Anc. Gouv.* I, pag. 25, 30, 33 sqq., 36, 48 *Hist. de la Pairie,* pag. 2, 88, 173.

(2) *E. d. L.* l. c. Cf. *lex Ripuariorum,* (Basileae 1530) fol. 14, ubi servus Ripuarius memoratur; ib. fol. 16 legimus manumissione quâdam barbaricos servos evasisse cives Romanos. Discrimen servorum Germanici et Romani juris exposuit BILDERDIJK, *Gesch. des Vaderl,* I, pag. 295.

aevo, omnes in Galliâ fundos Francorum, alodia fuisse putaret, at sub regibus secundae stirpis nexum feudalem vigentem cerneret, leviter omni difficultate sese expedivit, asserendo, feuda jam pridem apud Longobardos recepta, a CAROLO MAGNO uno ictu in Franciam invecta fuisse, simulque ab eodem omnia instituta feudalia condita, qui scilicet cunctisFrancis seu nobilibus persuaserit, ut honoris causâ, tamquam Regis vasalli tenerent ea bona, quae hucusque suo nomine habuerant. Hereditaria porro ait evasisse feuda unâ CAROLI CALVI ordinatione. Francorum gentem ita depressam fuisse queritur a *Carolingis*, qui parvi quoque penderent populi suffragium, quum in desuetudinem abire passi sint coetûs campi Maji; at meliora ait rediisse tempora, quum ultimi hujus stirpis reges magnis vasallis confiderent regni tutelam, donec HUGO CAPETUS et quia facto majorem Franciae partem teneret, et ex ultimâ voluntate LUDOVICI V, regnum capesseret. Haec autem conversio quantùm mutare debuerit obligationes regis et populi erga se invicem, haud exponit (1). Ecce praecipua eorum, quae de patriae historiâ protulit hic auctor, ubi identidem perlucet opinio, quam sibi informârat neque desierat obtrudere PHILIPPO Procuratori, de Franciae salute tunc demum renasciturâ, si verae Francicae gentis convocarentur comitia.

Toto coelo diversum ingenium videmus in ejus adversario, abbate DUBOS, viro inprimis critico et antiquitatibus versato, qui regni Francici origines investigavit

---

(1) *Mémoires*, I, pag. 129—132. *Hist. de la Pairie*, pag. 18, 81 sqq. *Hist. de l'anc. Gouv.*, I, pag. 40 sqq., 95, 108 sq. II, pag. 80 m. sqq. 295.

eo consilio, ut fuse ob oculos poneret, quam mutationem in Galliarum conditione secum tulerit barbarorum occupatio. Certe plurimùm longe diligentiâ superavit Comitem DE BOULAINVILLIERS, ostenditque, quali reverâ doctrinâ opus esset ad remota adeo tempora pernoscenda. Sic exempli g. ubi ita acute distinguit alter Gallos a Romanis, ac si de CAESARIS tempore loqueretur, DUBOS late explicat, quomodo se habuerint saeculo 5°. provinciales respectu Imperii Romani (1). Ideo fortasse variis locis huncce refellit, illum nonnisi obiter memoravit MONTESQUIVIUS (2). Et certe laudes merentur DUBOSII conamina, quibus patefecit, quantum disci posset è barbarici saeculi scriptoribus; peregit porro, quod antea nemo aggressus erat, prosecutus scilicet Romanorum historiam sub regibus Francicis, necnon perspicue delineavit conditionem cùm municipiorum, tùm Armoricanae Galliae. Ipsum hujus maritimi tractûs regimen sejunctum et fata, ex antiquitatis ruderibus, ut ita dicam, effodit et illustravit (3). At eo modo hanc historiae partem exposuit, ut non posset non in erroneam sententiam prolabi. Namque et provinciales et barbaros tantùm respectu Romanorum considerat, ita ut Romana instituta diligenter quidem pernoscat, at negligat quae Germanicarum gentium propria erant.

Adeo semper Romanos unice videt, ut singulis capp. de barbaris foederatis, numquam ferme de imperii hostibus loquatur, et fieri posse neget, ut Francorum tri-

(1) V. *Hist. Crit. de l'Etabl.*, livres I et II (Vol. I).
(2) Cf. *E. d. L.* XXVIII. 3; XXX. 12, 14, 23, 25.
(3) *Hist. Crit. de l'Etabl.*, l. II, ch. 2, 3, 5, 8 (Vol. I, pag. 252 sqq., 286, 355 sqq.); l. III, ch. 24 (Vol. II, pag. 382 sqq.).

bûs offensivum inter se foedus adversus Imperium inierint (1). Hinc systematis sui fundamentum derivat, scilicet, Francos, quantum potuerint, ante CLODOVEUM jam, cum Romanis coaluisse et procul fuisse remotos a mutandis, quae sub Romanis instituta fuerant; imo auctoritatem Regum Francorum in Galliâ majori ex parte niti magistratibus, quibus nonnullos eorum decoraverunt Imperatores. Neque legum et scriptorum gentis victricis studium ad saniora eum principia revocavit, quum illos nonnisi ad probandum quod pridem sibi persuaserat, citare soleat. Neque minus abhorrent ab historicâ veritate, quas inde ducit, consequentiae, scilicet, eodem jure omnibus in Galliâ populis imperasse reges Merovingos, nullam ordinis distinctionem fuisse inter ingenuos Romanos et Francos, neque inter barbaros ipsos (Francos adeo censu gravatos putat); nullis finibus limitatam regiam potestatem, quum magnos gentis Francicae conventûs, uno calami ictu pronunciet nihil aliud fuisse, nisi »*un grand conseil de guerre*" (2). Historiam suam non ulterius produxit, quam ad

---

(1) *Hist. Crit.*, L. I, ch. 17 (Vol. I, pag. 182). CLODIONIS hostilem invasionem negare nequit, sed perhibet Francos, quibus hic imperabat, ab AËTIO devictos in Galliâ mansisse Romanis subditos. L. II, ch. 7 (I, pag. 332).

(2) *Hist. Crit.*, L. III, ch. 18, 21 (II, pag 280, 339 sqq); L. V, ch. 10 sqq.; VI, ch. 1, 2, 4, 5 (III, pag. 200, 257, 294, 327 sqq.). Mirum est tam graves errores viro tantae eruditionis accidere posse. Sic e. g. argumentis, quae adfert, ut probet CLODOVEUM amicum Romanorum fuisse, singulis singula universe nota facta obponi possunt. Sic ait: 1°. multos Francos foederatos fuisse in copiis Imperii Occidentalis — at ante CLODOVEUM evanuerat illud Imperium; 2°. Romanos gavisos progressibus CLODOVEI, quia ejus liberis Galliam cessit THEODOSIUS II — at quisque novit, Imperatores Orientis numquam ullum in Galliâ pagum

CLODOVEI liberos, verùm satis aperte indicat, se nullam regiminis mutationem invenisse, quâ aetas Carolingorum a priori differat; et ipsa feuda a Romanis accepisse barbaros, quippe queis beneficia militaria haud ignota essent (1). — Diutius paululum in hisce auctoribus considerandis moratus sum, quo magis MONTESQUIVII opera illustretur in antiquâ patriae historiâ enucleandâ, quam operam, uti viri eruditionem universe, injuriâ flocci pependit cel. BILDERDIJKIUS (2). Modestiae ipse Noster specimen dedit, ubi memoratis tam diversis decessorum sententiis, suae disquisitioni symbolum praefigeret Ovidianum illud: »Inter utrumque tene" (3); nam multò plus peregit, quam ut mediam inter duo extrema viam quaereret; legum et chronicorum volumina denuo revolvit, suumque in-

---

tenuisse, quam itaque facile cedere possent; 3°. SYAGRIUM aliquando Francos in exercitu habuisse, nec eorum hostem dicendum — at a CLODOVEO devictus SYAGRIUS est et occisus; 4°. Romanos Burgundionibus subditos invocasse Francos — at Romanorum conditio sub Burgundionibus longe favorabilior erat, quam sub Francis, ac soli clerici regem GUNDEBALDUM deseruère haereticum, quia mallent obsequi regi orthodoxo CLODOVEO. Cf. BERNARDI, *Hist. de la Législ.*, L. I, ch. 3 et 4. GIBBON, *decline and fall* etc. (London, 1830) chap. XXXI, pag. 527, notâ *g;* XXXVIII, pag. 623. 5°. Francos magistratûs in urbibus obtinuisse (indicans scilicet rachimburgos), — at rachimburgi non erant curiales, verùm assessores grafionum (*rachimburgus, Rachen-Borg, vades vindictae*).

(1) *Hist. Crit.,* L. VI, ch. 13 (III, pag. 406). Ibidem, nec satis certo fundamento, tradit, alodia seu terras Salicas Romanis datas fuisse.

(2) *Gesch. des Vaderl.,* I, pag. 137: »MONTESQUIEU, die onder den naam van *l'Esprit des Loix* een werkjen geschreven heeft, dat uit louter *esprit* zonder *lichaam* (?) of *ziel* bestaat, en oneindig veel kwaad gedaan heeft."

(3) *E. d. L.* XXX, 10, ubi describit versûs *Metam.* II, v. 135—140.

venit tramitem nullo pridem efformato systemate. Quum ita veritati detegendae incumberet, non tamen affirmare ausim eum omni praejudicatâ opinione vacavisse, quae vix abesse queat, quin obsit nobili originem nobilitatis exquirenti. Talis mendae e. g. arguere ipsum videtur locus (*E. d. L.* XXX. 25), ubi opinionem de nobilium et villanorum distinctione serius demum apud Francos introductâ, ideo rejiciendam putat, quia, si vera esset, gentis historiâ saecula complura continerentur, per quae nobilissimae, imo regiae domûs ignobiles fuissent.

II. Ceterùm ratio, quâ argumentum suum tractat, est conquirentis, dijudicantis, et inter se conferentis varios fontes, ita ut narrationem continuam aut theses elaboratas desideres. Haec autem diversarum ejus disputationum summa, quod ad Galliam a Francis occupatam. Aestimari rectissime poterunt res gestae populi victoris ex iis, quae de ejus moribus ante invasionem novimus, ita ut altero demum loco veniant, quae retinuit aut imitatus est a victâ gente. Certissimi autem fontes de Germanorum moribus quum sint CAESAR (l. VI *de b. G.*) et TACITUS, horum capita nonnulla explicat MONTESQUIVIUS, ea comparans cum codicibus, capitularibus et consuetudinibus sub primâ et alterâ Regum Francorum stirpe. Quoties autem de conditione Romanorum et cleri, deque juris vinculo inter victores et victos agit, fontibus utitur, quales sunt GREGORIUS TURONENSIS, FREDEGARIUS, AIMOINUS etc., imo, debitâ cum prudentiâ, *Vitis Sanctorum*. Primum et maximum, quod usu venit, est jus ac officium mutuum *principum* et *vasallorum*, qui procul dubio inter Germanicos gentes fuêre, antequam fixas haberent sedes.

Vasalli (1), tempore occupationis, a Regibus muneri accipiebant arma, fruges, pecora, tandem territorii fortasse plus, quam reliqui; attamen diu abfuit ab ingenio vagabundae nationis, ut vasalli obligationem ex illarum terrarum dominio derivarent.

Hanc thesin adstruit MONTESQUIVIUS eo, quod Romanorum nonnulli plures aut certe non minores mansos a regibus tenuerint, quam Franci (2). Mansis et territorii divisione memoratis, digressioni indulget de glebae servitute, quam item a priori vivendi ratione Francorum alienam putat, verùm a Romanis acceptam. Hanc tuendo sententiam reverâ *inter utrumque* decessorum tenet, nam DE BOULAINVILLIERS asseruerat, ad agros colendos in servitutem redactos fuisse omnes provinciales, DUBOS contra, servos tantùm Germanici juris ei operi addictos (3). Semper etiam a praecipuo argumento

(1) TACITUS, *de m. Germ.*, cap. 13 hosce *comites* vocat. Dein autem *comitis* vocem eo sensu nunquam usitatam fuisse existimo apud barbaros Latinizantes; hi enim statim eam adhibuêre eodem sensu, quo Romani sub ultimis Impp. scilicet pro titulo ejus, qui ipsis *grafio* diceretur.

(2) *E. d. L.* XXX. 8—8. Per *mansum* hìc intelligo, non *mansionem* munitam (*manoir*), verùm quod antiquitus notabat, agrum 12 bunuariorum cum duobus servis ad eum colendum. Cf. *les Origines, ou l'ancien Gouv. de France, d'Allemagne et d'Italie* etc. (La Haye 1789) l. VII, chap. 14, § 1.

(3) *E. d. L.* XXX. 11. BOULAINVILLIERS, *Hist. de l'anc. Gouv.* I, pag. 33 sqq. DUBOS, *Hist. crit.* VI, ch. 4 (III, pag. 297). Nequis autem dubitet de MONTESQUIVII sententiâ recte se habente (quo ducere possit lc. BILDERDIJKII) legendus tit. *C. de agricolis, censitis et colonis,* quem citat XXX. 11, notâ 11; ubi scilicet c. 3, Impp. VALENTINIANUS I et VALENS memorant »integram terrae professionem (*kadaster*) ex quâ videlicet (terrâ) servi manare videntur;" et c. 18 Imp. ANASTASIUS ait: »Agricolarum alii quidem sunt adscripticii, et

digressus Noster A., cur continuo creverit servorum numerus apud Francos, explicat, nimirum ex auctis vitae commodis, quibus inhiarent victores.

Dein ad terrarum dominium redit. Ex his, quas tenebant Franci (terras Salicas seu *alodia*) tributis exemtas fuisse docet, illudque privilegium ideo genti victrici datum, quia haec sola in bello servitia praestaret, nec etiam *censu* oneratos, nisi servos. Acumen *Montesquivianum* ostendunt argumenta, quae hâc de re affert; DUBOSIO, inter alia, constitutionem THEODERICI MAGNI citanti pro contrariâ sententiâ, retorquet demonstrando, hunc regem ita differre voluisse a reliquis barbaris, ut contrà probabile sit hisce usitatum fuisse, quod ab ipso prohibitum (1). Neque minus lectu dig-

---

eorum peculia dominis competunt; alii verò tempore annorum XXX coloni fiunt liberi etc." A priori specie eo tantùm differebant servi juris germanici, quod hi, dum viverent, peculio uterentur pro lubitu, post mortem verò illud ad dominum rediret. Liberi vivebant, servi moriebantur. Similis fuerat antea Latinorum Junianorum conditio et, seriori aevo, hominum manûs mortuae. Cf. GAJUS, *comm.* I. § 23; III. § 56. MERLIN, *rép.* v. *mainmortable.*

(1) *E. d. L.* XXX. 12 extr. De Ostrogothorum regno in Italiâ Mstum MONTESQUIVII exstat in bibliothecâ Parisiensi. *Biogr. Univ.* v. *Montesquieu* notâ ult. Caeterum cf. c. 13—16, ubi praeter alia observat Auctor N., conditionem mediam fuisse *hominum regiorum* inter liberos et servos, quod confirmat *lex Rip.* tit. *de homicidiis*, statuens pro occiso servo 36 solidorum fredum, pro homine regio et clerico 100, pro ingenuo Ripuario 200. Romanorum hìc non fit mentio; at tit. *de diversis interfectionibus*, 100 quoque aestimatur occisus advena Romanus. Nonne itaque conjicere licet, conditionem regiorum hominum eandem fuisse ac cleri et laicorum sub Romanâ lege viventium, qui fortasse regum patrocinium ita ipsi quaesiverant? Hoc si vere conjectum, stricto sensu *Romanorum reges* dicti forent complures, e. g. THEODERICUS filius CLODOVEI, et postea etiam Carolingi.

nus MONTESQUIVIUS, ubi, hisce expositis, ad feuda transit, eidem semper inhaerens rationi argumentum tractandi. Loco nempe TACITI citato (c. 13 quod est de comitibus principum) tanquam saxo angulari superstruit, quae de origine feudorum dicturus erat, saepius hunc locum interpretationibus illustrans e MARCULFI juris formulis. Ex historicis et Jctis, quantum novi, primus fuit hic Noster, qui feudalis systematis natales ita ex invasione repetierit; aliis apud Romanos, aliis apud Longobardos cunabula ejus quaerentibus. Jam constat quidem, jus feudale, uti illud in libris Feudorum ad nos pervenit, totum fere Longobardis deberi; at hoc accipiendum tantùm est de modo, quo praxis forensis ad instituta feudalia conformata fuerit, neutiquam de re ipsâ. Tùm quoque laudi fore existimo MONTESQUIVIO, quod senserit jurisprudentiae feudali deesse gravissimam partem. Quippe opus illud OBERTI DE ORTO et GERARDI CAPAGISTI statim incipit a feudis hereditariis, nihilo fere praemisso de eorum origine, neque ejus interpretes (inter quos magnus ipse CUJACIUS) lacunae supplevêre. Ideo lepide disquisitionibus suis subjungit Noster: »Finem impono disputationi de feudis, unde ceteri initium duxêre" (1). Per reliquam autem

(1) *E. d. L.* XXXI. 34 extr. V. tit. *F. de his qui feudum dare possunt.* Unicus et jejunus sane locus de feudis ante saec. XI est ibidem § 2: »Antiquissimo tempore sic erat in dominorum potestate connexum, ut, quando vellent, possent auferre rem in feudum alienatam. Postea verò eò ventum est, ut per annum tantùm firmitatem haberent; deinde statutum est ut usque ad vitam fidelis produceretur, sed cum hoc jure successionis ad filios non pertineret, sic progressum est, ut ad filios deveniret, in quem scilicet dominus hoc vellet beneficium confirmare, quod hodie ita stabilitum est, ut ad omnes aequaliter veniat." Loca, tempora, causas hìc frustra quaeras. Cf. *E.d.L.* XXXI. 30.

libri XXX partem (cap. 16 ad 25) et totum librum XXXI, quibus de hocce argumento agit, saepius adeo digressiones intexit, quam ob rem non ulterius sequendum putavi Auctoris ordinem, at brevibus potius thesibus complectendas, quas novas protulit opiniones de feudorum origine. Harum thesium erit

I[a]. *Officia vasallorum erga principem, quum jam ante occupationem Galliae exstiterint, nec multum differant ab iis quae postea deberi incepere a feudatariis, credendum est, primos, quibus Reges iis conditionibus terras darent, fuisse pariter vasallos sive leudes.* Videri possit omissa hîc esse controversia praec. saeculo crebrò agitata, scilicet, unde terras illas, quas alienarent, habuerint Reges; verùm hac in re optime quadrant MONTESQUIVII dicta cum sententiâ, quam late elucidavit KLUIT in diss. suâ *de systemate feudali domaniali*. Illic enim probavit, feuda fuisse domaniorum portiones, quae in praedae sortitione post victoriam quum obtigissent Regi, hic leudibus distribuerit. Jam roget quis; cur immensi illi tractûs, mansiones, vici, sylvae, pascua etc. (1) in variis provinciis Regi concedebantur? Confestim respondendum erit e MONTESQUIVII placitis; quia apud gentes Germanicas moris erat, ut qui in truste regis essent, leudes seu vasalli, sumtibus regiis nutrirentur et unum cum Rege acquirerent patrimonium. Quò tenderent ejusmodi ratiocinia, non perspexit VOLTARIUS, ubi leviter et inepte objicit, parùm ad feudorum principium adtinere, utrùm duces nonnulli a Rege epulis excepti fuerint (2). Alius quoque de Fran-

(1) V. Omnium horum enumeratio in *Mémoires de* BOULAINVILLIERS, II, pag. 93.

(2) VOLTAIRE, *comm. sur l'E. d. L.* chap. *des Francs.* cf. KLUITII

cicae historiae primordiis scriptor, non diu post MONTESQUIVIUM docto opere ea illustrare conatus, licet, ad DUBOSII sententiam pronus, existimet feudorum instituta a Romanis didicisse barbaros, easdem tamen causas notat, cur e domaniis suis feuda leudibus dederint reges (1). Thesi, quam e MONTESQUIVIO peto

IIâ statuit, *distinguendos esse magistratûs*, *qui pro Regibus jus dicerent*, *reditûs domaniorum acciperent*, *a leudibus*, *quibus in propria beneficia utrumque illud concessum erat*. Ex horum jurisdictione nata est potestas dominorum in vicis et pagis; illos intelligit Duces, Comites, Centenarios, qui cum assessoribus scabinis seu rachimburgis judicabant. Porro,

Hist. der Holl. Staatsr., V, pag. 129—140, 157 sqq. — *E. d. L.* XXX. 16.

(1) V. *les Origines ou l'anc. Gouv.* l. IV, ch. 1. § 1 et 10; V, ch. 1. § 1, coll. IV, ch. 5 et 6. Illi, qui a Romanis originem feudorum repetunt, ex jure Romano afferunt *beneficia militaria*, *fundos limitrophos* et *emphyteusin*. Haec singula, quibus in rebus similia sint feudorum, quibus differant, v. ap. BILDERDIJKIUM, *Gesch. des Vad.* I, pag. 298 sq. Universe, quum praedia provincialia pleraque ad *agrum publicum* Romanorum referrentur, dominii imperfecti et precarii plures species esse debuere. Tenebant enim eum agrum *possessores* (quos pleno jure dominos esse jussit demum JUSTINIANUS c. 2 C. *ne rei dominicae vel templorum*) vel *coloni*, qui fructuum partem possessoribus deberent, imo interdum angaria seu, uti tunc vocabantur, *munia functionis.* Non magnum discrimen apparet inter ejusmodi distributionem agri provincialis, et domaniorum systema modo memoratum. Verùm incognita erant Romanis et a victoribus invehi debuère, 1°. *tenementum* seu obligatio vasalli ad servitium personale; 2°. hominum conditio diversa pro ratione terrarum, quas tenebant. Coloni enim provinciales aut peregrini erant aut Latini aut cives Romani; coloni contra Francorum (*hommes de poëste*) nunquam leudes esse poterant. Cf. v. cl. BIRNBAUM, *ü. d. rechtliche Natur der Zehnten* (Bonn 1831), pag. 52, 54, 81, 102 sqq.

ut ostendat, quomodo reditûs fons evaserit jurisdictio, fuse doctrina exponitur de pactionibus seu fredis Germanicarum gentium. KLUITII disputatione idem comprobatum est (1).

III^a Thesis. *Feudalia illa officia et jura ita stabilita erant in Franciâ ante Carolingos.* Ut hanc argumentis adstruat, cursorie e permultis primae stirpis capitularibus patefacit, acutiorem sensim evasisse distinctionem eorum, quae Comites aut Centenarii pro Rege perciperent, et quae in truste aut in terris fidelium lucra acciderent. Tantùm de primâ origine; ceterùm de illis mutationibus, quas verbo notatas legimus § 2, F. tit. cit., sententia MONTESQUIVII hisce maxime thesibus continetur:

IV^a. *Terrae in feudum datae quum olim ad unam messem tantum concederentur; productae ejus alienationis ad vitam vasalli vel etiam ad heredem primum exemplum dedit rex* GUNTRAMNUS (fine saec. 6^i); *late progressa haec mutatio sub* CLOTARIO II.

Nititur utique haecce sententia priori de acute distinguendis magistratibus Regis et leudibus; nam comitatûs, ducatûsve hereditarii certe sub primâ stirpe non erant, neque ignoravit MONTESQUIVIUS, tales existere sub *Carolingis* demum potuisse, qui feuda conglomerarent et provinciarum regimina in feudum darent. Rite autem et historiae congrue describit leudes *Merovingorum*, abutentes continuis bellis civilibus inter reges, ut ipsis extorquerent possessionis suae consolidationem. Maxima, si eum audias, rerum conversio locum habuit,

---

(1) *E. d. L.* XXX. 18—21, 25. KLUIT, op. cit. V, pag. 141, 175 et 184.

quum interfectâ BRUNECHILDI imperium capesseret CLOTARIUS II, a. 613; idque ob has rationes: PROTARIUS illius reginae minister proceres spoliabat ut fiscum locupletaret; exercitus Francorum non restitit CLOTARIO, qui eam supplicio mandaret; paulo post leudium unus WARNACHARIUS munus *majoris Burgundiae* a rege ad vitam accepit, quod exemplo carebat. Itaque a fortiori existimandum est, reliquos leudes praemium auxilii praestiti poposcisse a CLOTARIO feudorum confirmationem sibi et heredibus (1). Neque hîc subsistit conjecturas faciendo acutum et velox MONTESQUIVII ingenium. Novum feudorum genus creatum cernit, antequam Carolingorum stirps regnum capesseret, quae a plerisque decessorum designata fuerat epocha instituti totius systematis feudalis. Haec nobis sit thesis

V[a]. *Majores Domûs, postquam, inde a* PIPINO LANDENSI *de leudium terris pro arbitrio disposuissent*, CAROLUS MARTELLUS *nova in leudes beneficia contulit e revocatis donationibus, quas reges olim ecclesiis fecerant.* Immensâ doctrinae copiâ probavit N. A. reverâ de tali conversione agi, ubicumque in chronicis et actis Conciliorum legitur ecclesiae odium incurrisse CAROLUS MARTELLUS; atque ex hoc placito progressus, superstitionis et nimiae indulgentiae erga clericos vituperio vindicavit donatores munificos ecclesiae PIPINUM regem et CAROLUM MAGNUM, quippe qui indemnem praestare deberent clerum bonis privatum (2). Eò usque proprio tramite processerant feudalia

(1) *E. d. L.* XXXI. 1, 7. De magistratibus iis, quantum initio differrent a feudis, postea saec. 11°. item feuda evaserint v. BILDERDIJK, I, pag. 107, 109, 309.

(2) *E. d. L.* XXXI. 9—15, 19. *Les Origines* etc. V, ch. 6. Quae

instituta sejuncta a civili et militari regimine; disputationis terminum sibi posuerat MONTESQUIVIUS, modum explicare, quo coaluêre illa inde a CAROLO CALVO; at pridem una solvenda erat quaestio, scilicet, quomodo omnes fere in Franciâ fundi, illi etiam qui numquam ad domanium pertinuissent, in feuda et subfeuda conversi sint. Sic illud explicat thesi

VIª. *Magistratûs regii homines liberos terrarum provincialium possessores sensim adeo depressêre, ut lubenter plenum fundorum dominium amiserint, eos regibus donantes ut feudatarii evaderent et leudium beneficio gauderent.* Conversio ea alodiorum in feuda tempore CAROLI MARTELLI obtinere debuit, quum ejus aevi *formulae* sint *Marculfianae*, quibus modus talis donationis praescribitur. Favorum autem qui expetendam adeo redderent vasalli conditionem, praecipui erant; longe majus weregildum posci pro interfecto eo, qui in truste Regis erat (600 solidorum), quam pro arimanno seu terrae salicae possessore (200 sol.); porro hunc graviter puniri, quandocumque a Comite ad *mallum* (judicium) vel *heribannum* (militiam) arcessitus, domi maneret; illum contra jurisdictioni in suo tractu praeesse et soli Regi militiam debere etc. Factum hocce a MONTESQUIVIO repertum dici potest, quoniam antea vulgo temporibus post CAROLUM CALVUM tribueretur mutatio memorata, cujus causam esse crederent desiderium securitatis bonorum, quam possessores in vinculo feudali quaesivissent. At e saeculi 9ⁱ monumentis demonstravit Noster A., sub *Carolingis* istis non agi

---

desiderantur in iis quae dixit Auctor de hoc CAROLI MARTELLI actu, v. apud cl. BIRNBAUM, pag. 127 sqq.

potuisse de modo, quo alodii dominus Regis vasallus fieret; at contra, labante regiâ auctoritate, aliam denuo extitisse conversionem. Tunc enim tutius fuisse, et leudibus minus locupletibus et arimannis, ut vavassores potentiorum leudium evaderent, qui tunc iidem Comites erant et Duces (1). Illae et aliae causae tandem secum duxêre confusionem feudalis et civilis regiminis, donec sub LUDOVICO V maximum feudum locum regiae majestatis occuparet; quarum rerum causis notandis, MONTESQUIVIUS parum a reliquis historicis differt, praeterquam ubi occasum imperii inde a LUDOVICO PIO repetens, non nimiâ lenitate, verùm saevo et tyrannico regimine peccasse docet hunc principem, quo Francorum proceres a regiâ stirpe alienaret, adeo ut ejus successores leudium fidem magnis concedendis beneficiis denuo impetrare debuerint (2).

Reliqua argumenta, quae in libris illis XXX et XXXI disputationi de feudis intexuit MONTESQUIVIUS, exponenda, multò minus dijudicanda, non puto, quum hucusque eo maxime proposito magni viri vestigia adtenderim, ut patefiant studiorum in eo ratio et vis critices, minime commentarium de rebus ipsis scripturus. Quam

---

(1) *E. d. L.* XXXI. 8, 25, 27. Eodem tendit auctor *des Origines*, III, ch. 16 sqq. Serius factam mutationem ait BILDERDIJK, I, p. 331, at haud citat fontes; quod eò mirabilius est, quò magis MONTESQUIVIO assentire videtur KLUIT, V, pag. 173, 212, cui caeteroqui multum tribuit BILDERDIJKIUS.

(2) *E. d. L.* XXXI. 20—22. Cf. VOLTAIRE, *essai sur les moeurs*, chap. *Louis le Faible*. Quantopere secum ipsi dissentire debuerint historici, qui pietatis et indulgentiae famam conciliare velint cum LUDOVICI I rebus gestis, cerni potest in A. VON KOTZEBUE, *Gesch. des Deutschen Reichs*, I. Th. V. Abth.

autem de praestanti ingenio MONTESQUIVII opinionem informare nos jubent ejus laudes in antiquâ historiâ tradendâ, egregie eam stabiliunt quae ad Franciae historiam contulit, idque maxime admirabile mihi visum, ut singulis factis hinc inde arreptis, notis vel ignotis lucem adfundens *nova* continuo reperiat, et, cum poëtâ loquar: »Quicquid contigerit, fulvum vertatur in aurum" (1).

Ad MONTESQUIVII historicos locos referendus quoque magni operis liber XXVIII, ubi Juris Francici historiam usque ad CAROLUM VII cursorie tractat. Quum verò infra de hâc operis parte alio respectu loquendum erit, ab ejus analysi abstinebo. Meminisse sufficiat viri animadversiones de ordaliis ac procedendi ratione per medium aevum, ita illustrasse eam historiae partem, ut classici maxime hujus argumenti scriptores, usque ad hunc diem, nonnisi eadem docere, interdum latius elaborare valuerint (2). Id verò notandum, nempe

---

(1) *Ovid.* Metam. XI v. 103. Eadem ratio apparet in reliquiis, quas habemus MONTESQUIVII operae, quod ad historiam naturalem et physicam. Ita e. g. *Obs. sur l'hist. nat.* (lectis in Acad. Burdigalensi Nov. 1721) n°. 3 et 5, ex observatis suis nova et inaudita ducit corollaria. Summi momenti est, ut ejus in cogitando et animadvertendo viam noscamus, adtendere ipsum collegis narrantem, quomodo de visci compluribus generibus conjicere coeperit, ea ex cortice quercûs aliusve arboris ortum ducere, quoque modo exinde, de parasiticis plantis universe cogitans, sensim eò pervenerit, ut de totâ classe XXIV (cryptogamorum), de naturâ seminis, deque generatione anomalâ *novas* sententias tueretur. Omnibus autem iis, quae nova protulit, sine discrimine assentiri vetant recentiores virorum doctorum labores.

(2) V. *E. d. L.* XXVIII. 14—19, 25—33, 36. Cf. *les Origines* etc. l. XI ch. 21 sqq.; l. XII. MEIJER, *inst. jud.* l. IV, ch. 3—7. MERLIN, *rép.* v. *combat judiciaire.* De feudorum origine MONTESQUIVII

MONTESQUIVIUM originem certaminis singularis, et ordaliorum per aquám et ignem non e solâ superstitione explicare (quia Deus intervenire crederetur) sed e genuinâ gentium Germanicarum indole. Quum enim TACITUS (cap. 12) tradat, apud hosce moris fuisse, ut supplicio capitali nonnisi transfugae et effeminati imbellesve adficerentur, egregie idem principium invenit fuisse jurisprudentiae medii aevi. Namque Franci, si eum audias (1), ferro, igne, aquâ tentare voluêre, utrùm alicujus criminis reus validus esset bellator, quem supplicio affici damno cederet popularibus, an vero ignavus, nullius aestimandus, homo, cujus manûs callo carentes, nec strenue pugnare, nec ferrum candens, aquamve bullientem contrectare possent. Nec minus, quae animadvertantur, digna sunt, quae de Romanorum seu provincialium municipiorum conditione sub Francis refert, hinc consuetudinum localium Jurisprudentiam repetens. Uno tantùm gradu aberat a sententiâ, quam recentissimi Franciae historici explicuêre, scilicet, communitates medii aevi non fuisse nisi eadem municipia, Regum patrocinio restaurata (2). Huic quoque disputationi de jure civili finem imposuit, perinde ac libro XXXI, quum ad eam pervenerit epocham, ubi difficultatis parum restaret.

Ex iis, quae hoc cap. dixi, facile judicium ferri posse arbitror de MONTESQUIVII methodo historiae cùm philo-

---

opiniones item v. in libro elementari aliquot annis post *legum Ingenium* conscripto, scilicet MASCOVII, *de jure feudorum Imperii R. G.* (Lipsiae 1763) cap. I. § 3—7.

(1) *E. d. L.* XXVIII. 17.

(2) *E. d. L.* XXVIII. 12. Cf. THIERRIJ, *études historiques*, (Paris 1834). GUIZOT, *hist. de la civilisation* etc. Leçon V.

sophicae, tùm criticae tractandae. Ceterum quò magis unicuique adparere debuerit ex hâc disquisitione, quam egregiae ingenii dotes ipsi fuerint, eò magis operae pretium erit cernere, quem in finem, quo consilio ductus, campum sibi elegerit politicas de legibus ferendis theorias. Haec et plura in alterâ speciminis parte pro viribus meis exposita reperiet Benevolus Lector.

TABELLA MONTESQUIVII OPERUM

EX TEMPORUM ORDINE, QUIBUS SCRIPTA ET PRIMÙM EDITA.

scours de réception à l'acad. de Bordeaux (Majo 1716)	primùm	ed.	in *Oeuvres*	*Posthumes*	II.
» à la rentrée de l'acad. de Bordeaux (Nov. 1717)	»	»	»	»	
» sur la cause de l'écho (Majo 1718)	»	»	»	»	
» sur l'usage des glandes rénales (Aug. 1718)	»	»	»	»	
ojet d'une histoire physique de la terre.	»	»	separatim Burdigalae 1719.		
'scours sur la cause de la pesanteur (Majo 1720)	»	»	in *Oeuvres*	*posthumes*	II.
» sur la transparence (Aug. 1720).	»	»	»	»	
servations sur l'histoire naturelle (Nov. 1721)	»	»	»	»	
ttres Persanes	»	»	separatim Amstelodami 1721.		
scours sur les motifs qui nous encouragent aux sc. (Nov. 1725)	»	»	in *Oeuvres*	*Posthumes*	II.
oge du Duc DE BERWICK (1725)	»	»	»	»	I.
» » » DE LA FORCE (Aug. 1726)	»	»	»	»	II.
mple de Gnide — Céphise et l'Amour	»	»	separatim Parisiis 1726.		
nsidérations sur la monarchie universelle en Europe (*)					

(*) Hunc libellum 44 pag. 12° absque nomine Auctoris et editoris, item editionis anno, se vidisse adfirmat doct. WALCKENAER, auctor art. MONTESQUIEU in *Biogr. Univ.* (notâ ult.), et verosimiliter illud prodiisse in Hollandiâ (1727) auctoremque habere Nostrum. Libellum ipsum mihi comparare non potui; rarissimus utique videtur, nam deest ejus mentio apud BARBIER, *Dict. des anonymes*. Mentionem ejus facit QUÉRARD, *la France littéraire* (Paris 1834), VI. pag. 242 (b). cf. *E. d. L.* XXI, 22.

Discours à l'académie Française (Jan. 1728).	primùm	ed. in	*Oeuvres Posthumes* I.
Considérations sur la grandeur et la décadence des Romains	»	»	separatim Amstelodami 1734.
Dialogue de SYLLA et D'EUCRATE (1746)	»	»	ad calcem op. praec. Parisiis 1748.
De l'Esprit des Lois	»	»	separatim Genevae 1748.
Défense et Eclaircissemens de l'Esprit des Lois (1749)	»	»	» Genevae 1750.
Lysimaque (1751)	»	»	in *Oeuvres Posthumes* I.
Essai sur le goût (1751)	»	»	in » » I et II.
Oeuvres (avec les remarques d'un anonyme).	»	»	hoc titulo Amst. et Lipsiae 1759.
Lettres familières (curante abbate DI GUASCO) (†)	»	»	» Parisiis 1767.
Arsace et Isménie (1754)	»	»	in *Oeuvres Posthumes* I.
Oeuvres Posthumes (I) (curante auctoris filio)	»	»	Parisiis 1783.
Pensées et Poësies	»	»	in *Oeuvres Posthumes* II.
Oeuvres Complètes (quae tamen non sunt integra)	»	»	hoc titulo Parisiis anno IV.
Oeuvres Posthumes (II) (curante J. B. BERNARD)	»	»	» Parisiis anno VI.
Oeuvres Complètes	»	»	» Basileae 1799.

Ex edd. quae deinceps cum commentariis et adnotationibus prodière, optimae sunt Parisiacae 1805 (*Nyon*), 1816 (*Auger*), 1818 (*Ménard*), 1821 (*Touquet*), 1828 (*Dalibon*), 1834 (*Ravenel*).

(†) Praeter has epistolas ad Italos, ab abbate DI GUASCO collectas, aliae ad familiares e variis syllogis in MONTESQUIVII *opera integra* contulère editores, maxime ex collectione epistolarum dominae DU DEFFANT. Porro octo epistolas ad Equitem D'AYDIES, quae exigui momenti sunt (1797) Parisiis edi curavit POUGENS. v. eas v. VI, pag. 528 sqq., ed. 1826. Item GROSLEII, *observationes de Ing. legum* cum Auctoris responsis primùm editae in *operibus integris*, 1818.

THESES.

I.

In MONTESQUIVII opiniones et variis de rebus judicia magnam vim exercuère nobile ipsius genus, et munus, quo per aliquot annos functus est, ita ut vir, qui alioqui, mobili et acuto ingenio ut erat praeditus, philosophorum novas res cupientium signis juraturus fuisset, conditione maxime sociali suâ ductus fuerit ad veneranda antiqua patriae instituta.

II.

Ratio historiae considerandae, cujus exemplum dedit MONTESQUIVIUS in libello *de magnitudine et occasu Imperii Romani*, eadem est, quam apud Graecos admiramur in POLYBIO et DIONYSII HALICARNASSEI optimis locis.

III.

Hanc autem (*pragmaticam*) rationem historiae universali adhibere Veteribus facilius fuit, quia ipsis non moris erat adtendere antiquiorum gentium cultarum instituta, leges, religionem, ab iis, quae suo tempore cernerent, diversa. Itaque parùm eâ ratione proficient hodierni viri docti, nisi praecedat eximie adhibita ars critica fontium.

IV.

De methodis scribendae historiae omnium gentium recte pronunciavit v. cl. C. VON ROTTECK, *Allgem. Weltgesch.* (ed. min. 4ª. Studgardiae 1839), vol. I, pag. 35: »Weder die *ethnographische,* noch die *chronographische,* auch nicht die (von SCHLÖZER uneigentlich sogenannte) *technographische*, noch endlich die *geographische* Methode, entspricht vereinzelt dem Zwecke der Weltgeschichte, sondern blos durch die Verbindung und schickliche Abwechslung aller derselben können ihre

Mängel gegenseitig verbessert, und der wahre, allgemeine Zusammenhang aller Begebenheiten fasslich werden."

V.

E collatis singularum gentium rebus gestis, tunc demum historia humanitatis universalis construi potest, si a singularibus quibusque acute secernantur ea, quae reverâ conditionem magnae saltem generis humani partis feliciorem aut miseriorem reddidère.

VI.

Praeceptum ROUSSAVII (*Emile*, l. III); »Que votre élève ne sache rien parceque vous le lui avez dit, mais parcequ'il l'a compris lui-même, qu'il n'apprenne pas la science, qu'il l'invente:" si addiscendis artibus doctrinisque adhiberetur universe, exigui forent humanae cognitionis progressûs. Hominum enim naturae convenit potius, eorum, quae ab aliis inventa sunt, notitiam sibi comparare; posthâc demum, si eò fert animus, novis inveniendis studere poterunt.

VII.

Quae de antiquo Francorum regno, deque feudorum origine protulit MONTESQUIVIUS (*E. d. L.* l. XXX et XXXI), optime congruunt cum doctrinâ cel. KLUIT de iisdem argumentis expositâ in diss. *over het domaniaal leenstelsel*, in *Hist. der Holl. Staatsregering*, vol. V.

VIII.

Errant, qui de Galliâ a barbaris occupatâ ita sentiant, ac si Romanorum instituta fere omnia, uti antea viguerant, in provinciis servata fuissent, mutatis unice hominibus, quibus regimen obtingeret. Errant item, qui in legibus moribusque post invasionem, solam Germanicam originem inveniant.

IX.

Egregie eâ de re disserens v. cel. GUIZOT (*hist. de la civilisation en France*, leçon III) Franciae politicam formam inde a saec. 5º apte vocat; »Une coëxistence de tous les gouvernemens."

X.

Fallitur J. B. VICO, *principj* etc. cap. I (vers. Germ. pag. 99), ubi legem *Canulejam*, quâ plebi cum patribus connubia communicata sunt (a. U. 309), ita explicat, ut ab hoc demum tempore uxores rite ma-

trimonio junctas habuerint plebeji, antea nonnisi concubinatu aut contubernio quodam vixerint.

XI.

Foenus *unciarium* Romanorum (sancitum lege *Duiliâ Maeniâ*, a. U. 396) siquidem cum centesimae usurâ CICERONIS tempore obviâ convenerit, menstruum certe fuit, ita ut annuum haberetur 12 pro centenis. Verosimilius autem videtur, ex conjecturâ cel. NIEBUHR, (*Röm. Gesch.* v. III, pag. 66) tempore illius legis annua fuisse foenora, nec usitatam centesimae computationem, ita ut sortis mutuo datae quotannis deberetur uncia ($8\frac{1}{3}$ p. c.).

XII.

De CONSTANTINO MAGNO sic opinandum est, ut vero Christianae religionis amore motus fuerit, quò magis ejus asseclis faveret, non ac si sperasset fore, ut conversione suâ via sibi aperiretur ad summam potestatem; quoniam contrà, ne gentium odium incurreret, novam Fidem profiteri veritus sit, donec rerum esset potitus.

XIII.

Quatuor versiculi, qui saepius ÆNEIDOS primo libro praemittuntur; »Ille ego, qui quondam, etc." VIRGILIUM auctorem habere nequeunt.

XIV.

XENOPHONTIS *Oeconomicus* non peculiare opus habendum videtur, sed potius quintus *Memorabilium* liber.

XV.

PLATO, ubi de civitate dicit: *Ποιήσει δὲ αὐτὴν ἡ ἡμετέρα χρεία,"* (*de Rep.* L. II, pag. 369 C.) physicam quidem *χρείαν* spectat; sed licet in eâ obportunitatem videat condendae civitatis, tamen fundamentum juris publici non in physicâ hominum inopiâ quaesivit, sed potius in morali societatis et junctim colendarum ingenii facultatum desiderio.

XVI.

Effatum PLATONIS (*de Rep.* IV, pag. 424 C): *»Οὐ δαμοῦ κινοῦνται μουσικῆς τρόποι ἄνευ πολιτικῶν νόμων τῶν μεγίστων,"* de musicâ proprie dictâ, quae sonis et numeris constat, intelligendum est.

XVII.

Quae PLATO, in *Cratylo* (C. XII—XIV, pag. 392 C—396 C) memorat

de nominibus, mire, si eum audias, indoli et fatis complurium hominum congruis, ingenii lusûs potius, quam serie dicta habenda sunt.

XVIII.

Quae DEMOSTHENI a quibusdam vindicatur oratio *de Haloneso*, spuria est; quod ut pro certo habeamus, valent cùm interna argumenta complura, tùm locus or. *de Coronâ* (cap. XXII. § 1 et 2), ubi adfirmat orator, non se, sed alios, hâc de re ad populum tulisse.

XIX.

DEMOSTHENIS orationes *Olynthiacae* eo ordine legendae sunt, quem plerique secuti codices, non illo, quo citantur apud DIONYSIUM HAL. (*Ep. ad* AMMAEUM I, c. 4). Itaque prima reverâ est, cujus initium: »*Ἀντὶ πολλῶν ἄν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι*," altera: »*Ἐπὶ πολλῶν μὲν ἄν, ὦ ἀ. Α.*" tertia: »*Οὐχὶ ταὐτὰ παρίσταταί μοι γιγνώσκειν, ὦ ἀ. Α.*"

XX.

Recte de ARISTOPHANIS *Nubibus* sic judicavit doct. G. HERMANN, (praef. ad ed. Lipsiae 1830, pag. *xlv*): »In ridendo ea maxime ars est, ut quantumvis omnia exaggerentur, tamen ingenium cujusque et mores, quam possit serventur accuratissime, — quo in genere, quum aliis in fabulis eximius sit ARISTOPHANES, ut in iis, in quibus ÆSCHYLUM, EURIPIDEM, AGATHONEM in scenâ ostendit, non videtur pari arte in SOCRATE esse usus. Nam praeter oris figuram et habitum SOCRATIS, pleraque, quae ei in *Nubibus* tribuuntur, alieniora sunt, quam ut ad vivum expressam imaginem exhibeant."

SPECIMEN INAUGURALE

DE

MONTESQUIVIO.

II.

SPECIMINIS INAUGURALIS

DE

MONTESQUIVIO

PARS ALTERA,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

RICHARDI VAN REES,

MATH. MAG. PHIL. NAT. DOCT., MATH. ET PHYS. PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITERARIAE DECRETO

Pro Gradu Doctoratûs,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS
AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO–TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

Janus Heemskerk, Ab. f.

AMSTELODAMENSIS.

AD DIEM XIV MARTII, MDCCCXXXIX, HORA I.

IN AUDITORIO MAJORI.

AMSTELODAMI,

APUD J. H. ET G. VAN HETEREN.

MDCCCXXXIX.

TYPIS C. A. SPIN.

CAPUT I.

INVESTIGANTUR PROPOSITUM ET RATIO SCRIBENDI OPERIS »DE INGENIO LEGUM."

De Montesquiviano hocce praestantissimo opere multi egregii scriptores pronunciârunt, adeo ut temeritatis culpa metuenda videatur mihi iterum facere constituenti, quod tam bene saepius factum est. Ii autem, qui jam de hoc argumento disseruêre, cùm in historiâ politicâ aut literariâ scribendâ memorant aut citant et dijudicant saepius MONTESQUIVII opus; tùm disciplinarum politicarum progressûs praecipue adtendunt. At ita considerari solet Auctor Noster junctim cum plurimis factis et cogitatis ab ipso alienis; obiter tantùm ipsum adspicimus. Ex industriâ et praecipue argumentum hujus cap. tractare nemo adhuc tentavit (1).

Quum autem res singulae, de quibus egit MONTESQUIVIUS, non solùm hîc illic rite illustratae inveniantur

(1) Objici possit operis *analysis*, auctore D'ALEMBERTO, quae editionibus MONTESQUIVII praemitti solet (ed. 1805, vol. I, pag. *xlv* sqq.); verùm eâ conscribendâ videtur potius Auctoris effata ad *Encyclopaedistarum* systema flectere voluisse, quam quidem illorum rationem reddere ex Auctoris sententiâ.

apud complures scriptores, imò egregium de iis commentarium scripto condiderit DESTUTT DE TRACY, quo eas ad gradum, quò jam scientia humana iis de rebus pervenit, exegerit, potius duxi, universi operis consilium, rationem et effectum explicanda mihi sumere, quam singulares quaestiones in eo obvias.

Illud igitur acturus sum, ut ordine procedam, et haecce deinceps explicentur hâc scriptione; Quid sibi voluerit A. N. conscribendo opere *de Ingenio Legum?* quis in eo cernatur ordo, quaenam argumentandi ratio? Tùm, ut ad effectum operis progrediamur, prius videndum; ad quaenam placita (juris publici maxime) pervenerit illâ suâ ratione? denique; quid aequales et posteri de MONTESQUIVII opere existimarint? numqua fuerit ejus efficacia in actûs politicos sequentis aevi?

§ 1. *Variae sententiae de Operis proposito.*

Recepta apud multos opinio videtur, MONTESQUIVIO propositum fuisse, ut juris publici universalis doctrinae, novo systemate condendo, prodesset. Cui sententiae ansam dedisse puto, egregium ceteroqui morem eorum, qui, juris publici historiam enarrantes, uniuscujusque systematis deinceps epitomen dare soleant. Quum enim ad Auctorem N. venerint, e compluribus *de Ingenio Legum* congestis locis ejus effata in similem systematis formam redigere conantur (1). Verùm licet hoc in illo

(1) Cf. F. VON RAUMER, *Geschichtliche Entwickelung der Begriffe v. Recht, Staat u. Politik* (Lipsiae 1832), pag. 73 sqq. LERMINIER, *Introduction générale à l'hist. du droit* (Brux. 1830), pag. 168 sqq., alii.

opere multis praecipuum videatur, plurima vetant, quominus id summum Auctoris propositum fuisse putemus.

Etenim, si de Legum Ingenio scripsisset consilio systematis novi de jure publico condendi, certe acuminis et judicii, quam aequales ei saepius dedêre, laude minime dignus fuisset, quippe qui tantum doctrinae de rebus ab argumento alienis, quantum operi inest, temere congessisset.

Is etiam, qui jus publicum univ. consultò tractaret, profecto non ita carptim quaestiones de societatum fundamento, deque mutuis civium ac imperantium juribus memorasset, ac in I. operis MONTESQUIVII libro factum cernimus. Verùm legenti adparebit, Auctorem libro illo solùm declarare voluisse et profiteri, quibus adhaereret placitis de juris naturalis et publici fundamentis, ùt quam citissime procederet ad exponendam doctrinam de tribus regiminum formis, totidemque earum principiis. Ipsa haec doctrina ex ejus sententiâ non sola est ratio, sed una ex rationibus, quarum respectu leges conditas condendasve attendi oportere dicat (1).

Quid? si didacticum opus de jure publico MONTESQUIVIUS scribere voluisset, flosculis aliquot ex historiâ aliisve disciplinis ornatum, nulla causa fuisset, cur viam a decessoribus tritam linqueret et eum argumentorum novum ordinem sectaretur, quem saepius fatetur magnum sibi laborem peperisse (2). Porro, si quis existimaret, eam fuisse Auctoris N. mentem, quam ei abne-

---

(1) *E. d. L.* I. 3.

(2) Cf. VC. H. H. TELS, *diss. lit. de jure publico usque ad* HUBERUM; et ejusd. *diss. jur. de meritis* U. HUBERI *in jus publ. univ.* (Lugd. Bat. 1838), ubi ratio disciplinae tradendae apud complures saeculi 17i. scriptores exponitur et comparatur.

gamus, credendum foret, ipsum ignorasse, quibus finibus a reliquis disciplinis separaretur jus publicum; quod quominus admittamus vetant, cùm effata, quae procul dubio noverat, GROTII, HOBBESII, HUBERI, tùm definitiones variarum disciplinarum ad jurisprudentiam pertinentium, quae interdum in Opere occurrunt (1). At, objici possit, illorum opera quum Francicis lectoribus displicerent, aliam viam inivit, eòdem semper tendens.

Quid igitur? quod eodem genere scribendi, diu ante editum librum *de Ing. Legum*, prodierat opus LOCKII, *de regimine civili*, cujus placitis compluribus adhaesit MONTESQUIVIUS. Hoc certe, totius cultioris Europae societatis suffragiis comprobatum, omne punctum tulit, et perspicuitatem et elegantiam et verò systematicum ordinem juncta habet.

Nec aliter processisset MONTESQUIVIUS, si juris publ. univ. principia docenda suscepisset, imprimis quoniam plerùmque a partibus Lockianae philosophiae politicae stetit. (2). Statuendum itaque videtur, opus *de Legum Ingenio* non illo consilio scriptum, neque otiosa haberi oportet sexcenta illa exempla et ratiocinia in eo obvia desumta ex aliarum rerum cognitione.

Plures etiam defensores, eosque omnium partium, nacta est altera sententia, nempe, MONTESQUIVIUM con-

---

(1) *E. d. L.* XXVI. 1, 15, 16. Cf. GROTIUS, *de Jure B. ac P.*, proleg. § 15; L. I, c. I, § 14, n°. 1. HOBBES, *de Cive*, c. V, § 9 sqq. HUBER, *de jure civitatis*, L. I. S. I; ib. S. II. C. 3.

(2) LOCKE, *Two treatises on civil government* (1690), c. 1—5, fuse statum naturalem exponit, eaque jura, quae civitas hominibus in ipsam coëuntibus tuta praestare debeat; dein c. 5—7 docet, quâtenus jura pateant summi imperii; porro c. 7—18 formas varias et divisiones summae potestatis tractat. Haec cf. cum *E. d. L.* l. I—VI.

didisse aut condere voluisse *theoriam politicam;* quibus vocibus recte quidem v. cl. HEERENUS (1) (ad verum sensum eas accommodans), omnem speculationem de rebus politicis significat; plerique verò id scripturae genus intelligunt, cui exemplum dedit celeber *Utopiae* auctor THOMAS MORUS, secuti multi, qui (male fortasse intellecto fine Platonici operis *περὶ δικαίου*) putarent eximii aliquid se praestituros in politicis disciplinis, si imaginem fingerent reipublicae mendis et erroribus carentis, cujus cives scilicet non forent veri homines, sed instrumenta quaedam, quorum vires motrices (adfectûs et conditionem) disponeret auctor. Quam maxime negandum videtur, ejusmodi MONTESQUIVIO propositum fuisse.

Ipsi illi, qui in opere *de Ingenio Legum* unius imperii formae, exclusis aliis, videre cupiant encomium, vehementer inter se dissentiunt. Alii democraticae reipublicae suasorem MONTESQUIVIUM nuncupant; imò eò progressi sunt, ut dixerint, totum opus ad vituperandas reliquas reipublicae formas comparatum, quos lepide monet VON RAUMER »ne Jacobinis MONTESQUIVIUM comitem addant" (2); alii putant, Auctori ob oculos fuisse monarchi-

(1) HEEREN, *ü. d. Entstehung, d. Ausbildung, u. d. practischen Einfluss d. politischen Theorien* etc. in *Hist. Werke* (Göttingae 1821), T. I, Abth. III, ubi pag. 416 sqq. speciatim de N. A. agit.

(2) *Gesch. Entwickelung u. s. w.,* pag. 74. Cf. *Gesch. d. Staatsveränderung,* v. I, pag. 36 sqq. C. L. VON HALLER, *Restauration der Staatswissenschaften* (2 ed. Vitoduri 1820), v. I, pag. 56 sqq.; et, quem citat; MERCIER, *notions claires sur les gouvernemens* (Amstelodami 1787), v. I, pag. 81. Laudat item HALLERUS avi sui judicium de Ing. legum, quod invenitur in *Götting'schen Gel. Anzeigen,* 1753, pag. 30; ibi verò nonnisi quaedam MONTESQUIVII de climate effata reprehenduntur.

am novâ constitutione fuudatam, quales hodie in Europâ habentur (1); alii denique, eum ideo opus suum conscripsisse ferunt, ut Anglicam constitutionem, quae integra in Franciam transferretur, commendaret, sententiam adstruentes loco (*E. d. L.* XI. 6, extr.), ubi reprehenditur HARRINGTONUS, quod ille, dum viveret in regione ita bene constitutâ, fictae perfectionis exemplar in *Oceaniae* suae commentis quaesiverit (2). Singula refellenda;

1° igitur, non potuit MONTESQUIVIUS *democraticum* regimen omnibus reliquis ita praeferre, ut inde tantùm nascituram arbitraretur salutem populorum, imò ut consilium agitaret, illud invehendi in Franciam detrimento regiae dynastiae, uti l. c. perhibet auctor Operis *de conversione Francicâ*. Hoc ne dubium videatur, in memoriam ea modo revocanda sunt, quae priori speciminis parte, cap. I. § 2, 4, collegi de MONTESQUIVII loco in civili societate, deque ejus indole pacis amante, discordiae adversissimâ. Vir ille, quem et educatio, et munus, et fortunae dona ab importumis eversionibus et mutationibus abhorrere docuerant, qui sorte suâ contentus, excelsum satis in patriâ locum teneret, ille certe esse nequivit rerum novarum studiosus.

Quid? quod in Operis praefatione profiteatur, se sperare, legentes ex eo non vana desideria ejus, quod numquam futurum esset, hausturos, sed incitamenta ad venerandum, diligendum, colendum quodcumque

(1) *Eloge de* MONTESQUIEU, *par* VILLEMAIN (Parisiis 1817), pag. 46.

(2) *Staatsrecht der constitutionellen Monarchien von* J. C. *Frh.* V. ARETIN (Altenburgi 1824), v. I, pag. 30, 86 et, quem citat, C. HIS, *du danger pour la France d'adopter le mécanisme constitutionnel de l'Angleterre* (Parisiis 1814).

suo quaeque regimini, suisque institutis deberet gens (1). Neque desunt in ipso Opere *de Ingenio Legum* loci, ubi expresse democratiae vitia recensentur, at laudatur forma regiminis, quâ tunc Francia uteretur (2). Id fateamur; quotiescumque de indole et principiis popularis et optimatium regiminis agit, apparet, ipso judice, illud longe aptius esse quam hoc ad salutem populi procurandam. Etenim, ubi recensentur instituta, quorum ope respublicae liberae saluti suae prospiciant; quod ad democratias adtinet, ea unice memorat, quae ad ipsam imperii formam servandam aptissima sint; aristocratias contra quum spectet, omnia recenset, quibus impediatur, quominus durum et tyrannicum evadat hocce regimen (3).

Observemus autem oportet, in locis modo citatis, peculiare quoddam MONTESQUIVII ingenio proprium; scilicet, reverentiam ejus, quod constitutum, sancitum, moribus aptatum est, sive potentia sit, sive lex aut consuetudo aut denique religio. Ex tali veneratione studium oritur haec omnia conservandi, quod hodie multi politici expresse profitentur. Hoc studio (*esprit*

---

(1) *Préf. de l'E. d. L.* (ed. 1806), v. 1, pag. *lxxiv*; »Si je pouvais faire en sorte, que tout le monde eût de nouvelles raisons pour aimer ses devoirs, son prince, sa patrie, ses loix; qu'on pût mieux sentir son bonheur dans chaque pays, dans chaque gouvernement, dans chaque poste où l'on se trouve, je me croirais le plus heureux des mortels."

(2) *E. d. L.* I. 3, med.; II. 4; V. 12 (ubi monarchicam formam eo praestare ait, quod eximiis ingenio viris opportunitatem praebeat adeundi munera, quam laudem ei abnegat J. B. DE ST. PIERRE in notissimâ fabulâ *Paul et Virginie*, dialogo, p. med.); VIII. 6; XV. 1; XI. 6. pr. »Dans les républiques d'Italie, la liberté se trouve moins que dans nos monarchies."

(3) *E. d. L.* V. 1—8.

conservatif) eximie valuit Auctor Noster; idque, quod mirum videatur, iis etiam locis apparet, ubi singulares quasdam mendas animadverteret et notaret (1). Adeo procul a mutandi audaciâ abfuit, ut Franciae conditionem ferendam fore, si clerus privilegiis careret, nobilitas confusa esset cum plebe, multò minus, si tolleretur regium imperium, ne cogitare quidem posset (2).

Utique nonnisi historiae illustrandae causâ aut ne quid ratiociniis deesset, democratiam ejusque principia tetigit; nec usquam puram vidit aut videre voluit democratiam, semper alii formae mixtam, quum saepe ex iisdem rebusp. exempla citet, cùm ubi de optimatium, tùm ubi de populari regimine loquatur.

2°. Neque propositum fuit MONTESQUIVIO, ideam perfectionis quaerere in delineando exemplari monarchiae constitutionalis, quae dicitur, quali nunc gaudet Francia. Quâ de re animadvertere forsitan sufficiet, rarissime

---

(1) *E. d. L.* II. 4; VI. 2, 9; VIII. 9; XII. 4; XV. 10 (ubi glebae servitutem tuetur, quia in compluribus tractibus suo aevo eam paterentur rustici); XXIII. 8; XXV. 5; XXVIII. 34. WEITZEL, *Gesch. d. Staatsw.*, v. I, pag. 212, lepide comparat reverentiam illam potestatis constitutae, quae in MONTESQUIVIO adparet, cum eo, quod de Russicis militibus narratur, ut nempe popos seu sacerdotes suos omni veneratione prosequantur, dum pontificali amictu sint vestiti, hoc verò spoliatos, verberibus castigare non vereantur. Recte; dummodo cum grano salis instituatur comparatio.

(2) *E. d. L.* XI. 8; »Bientôt" (scil. post municipiorum ortum) »la liberté civile du peuple, les prérogatives de la noblesse et du clergé, la puissance des rois se trouvèrent dans un tel concert, que je ne crois pas, qu'il y ait eu sur la terre de gouvernement si bien tempéré, que le fut celui de chaque partie de l'Europe, dans le temps, qu'il y subsista. Et il est admirable, que la corruption du gouvernement d'un peuple conquérant, ait formé la meilleure espèce de gouvernement, que les hommes aient pu imaginer."

hominem, quamvis perspicacis sit ingenii, tantam seriem eventuum non prius auditorum praevidere, quanta locum habere debuit, ut Europa ejusmodi constitutiones acciperet. At votis forte eò tetendit, licet non praevideret successum. Quominus ita existimemus vetat eadem illa, quam observavimus, reverentia institutorum sui aevi. Versatus fuerat MONTESQUIVIUS semper in cognoscendis et comparandis legibus et rebus gestis antiquarum et recentiorum gentium, ubi nihil nostrae aetatis simile inveniret. Monarchiam diu stabilitis legibus, moribus, institutis locorum, privilegiis fultam, collegiorum quorundam auctoritate temperatam ante oculos habebat, et verò laudabat. De lege fundamentali, quae spretis antiquitatis exemplis ac traditionibus, omnes imperantium et civium mutuas relationes, quantùm fieri possit, juris universalis placitis denuo superstruerat, de *codice politico* (uti Franci dicunt), ne somniavit quidem. Omnia adeo, quae laudat, recentiorum politica instituta, sic e singularibus legibus, priscis moribus vel aevi traditione exstiterant (1).

Universe constitutionum illarum desiderium in monarchiis ea demum manifestant scripta politica, quae post rerum conversionem Americanam prodière, qualia condita sunt a popularibus politicis, MERCIER, SIEYES, PAYNE, aliis (2). Haec autem infra usu venient. Jam

---

(1) *E. d. L.* II. 4, ibique *Anonymus* notâ *f* et *g*; XI. 6; XXVI. 23; »Les hommes tiennent prodigieusement à leurs loix et à leurs coutumes; elles font la félicité de chaque nation; et il est rare, qu'on les change sans de grandes secousses et sans une grande effusion de sang."

(2) VON RAUMER, *Gesch. Entw.*, pag. 79 sq. *Miss* MARTINEAU, *Society in America* (Parisiis 1837), v. I, pr. *on politics*. TH. PAYNE,

quò magis constet errare, qui, cum panegyrico VILLEMAIN, Auctori Nostro divinandi artem tribuant, ac si LUDOVICI XVIII commendasset chartam, pauci loci inspiciantur, ubi *legum fundamentalium* appellatione utitur. Praecipuus horum est, jam saepius cit. (*E. d. L.* II. 4), ubi leges, sine quibus monarchia adesse nequeat, ipsa illa censet nobilitatis et cleri privilegia, magistratuum varios ordines, etc. quae in recentioribus monarchiis aliena existimantur a constitutionis praestantià et reip. unitate. Aliis locis, et legem de successione regni et consuetudines provinciales aut municipales circa hereditates, politicas et fundamentales vocat, nec minus statuta de coactâ emtione commodi publici causâ et de curiarum criminalium auctoritate, licet ea omnia diversis plane modis sese haberent in diversis Franciae tractibus. Omnia ejusmodi servare ad *essentiam* regiminis suae patriae refert MONTESQUIVIUS (1). Procul dubio tales notiones legum fundamentalium e solâ praxi, cursuque temporis didicerat, non ex utopicis theoriis.

---

on the rights of man (vers. Belg. Roterodami 1791), v. I, pag. 20 sq. exponit, cur illud desiderium tunc demum exstiterit, non in alterutrâ Angliae conversionum saec. 17i.; quod scilicet hisce sibi cavere vellent Angli ab absolutâ potestate CAROLI I et JACOBI II; in Americâ verò et paulò post in Franciâ, id ageretur, ut ipsa regimini inhaerentia vitia radicitus evellerentur. Adde, quod in ipsâ Americâ codices politici quidam vigerent saec. jam 17o; qui tamen in Europâ vix noti erant; exceptâ fortasse constitutione Carolinae a summo LOCKIO praescriptâ, quae brevi adeo occidit. Cf. WEITZEL, *Gesch. der Staatsw.* I. pag. 183, 300.

(1) *E. d. L.* XXVI. 15, 16, 21. Cf. MERLIN, *rép.* v. *constitution.* ROUSSEAU, *du contrat social*, L. II, ch. 12, negat se perspicere, cur leges politicae potius quam civiles, fundamentalium seu essentialium nomine gaudeant.

3°. Nec suadere voluit MONTESQUIVIUS, ut Anglicam constitutionem suam facerent Franci; quod alios perhibentes vidimus. Probe noverat, ea instituta libertati politicae faventia, quae summopere admirabatur apud Anglos, ex antiquâ historiâ et crebris variorum ordinum contentionibus ortum duxisse; quò multùm etiam contulisse fassus est Angliae situm et opera, quibus incolae victum sibi quaerunt. Plantam illam extranei soli ita integram in quemcumque continentis Europae tractum transferre, absurdum profectò foret; nec tamen ulla est ratio, quam ciere possint ii, qui id consilium MONTESQUIVIO tribuant, nisi quod impense laudaverit Anglicam constitutionem.

Quod quidem infitias ire nequeo, at nihilominus semper adhaesit Auctor N. opinioni, quâ penitus imbutus fuisse videtur; venerationem deberi majorum statutis et traditis moribus in unâquâque regione. Ipse satis explicat, quomodo intelligi velit effata sua de Anglorum legibus publicis; quem locum, ut summi momenti est, ita ipsis Auctoris verbis in contextum recipi oportet: »Je ne prétends point par là ravaler les autres gou»vernemens, ni dire que cette liberté politique extrême »doive mortifier ceux, qui n'en ont qu'une modérée. »Comment dirais je cela, moi, qui crois que l'excès »même de la raison n'est pas toujours désirable, et »que les hommes s'accommodent presque toujours mieux »des milieux, que des extrémités?" — Quibus paulò post subjungit, monarchicas regiones, ubi non tantum libertatis relinquant leges politicae, nihilominus felicem tutamque vitam civibus praestare posse (1).

---

(1) *E. d. L.* XI. 6, extr., 7 pr.

Ceteroquin ita perspexit, a cujusvis alîus monarchiae indole abhorrere Anglicam constitutionem, ut, quoties singula ejus placita adtendat, lubentius ea comparet cum Veterum aristocraticis et democraticis rebus publicis, quam cum aliis regnis. Tandem, quum, peculiari capite satis prolixo, agat de efficaciâ, quam in mores et opiniones populi Anglici habuerit regiminis forma, ne verbo quidem tangit quaestionem, quid eadem in alium populum effectura fuisset; cujusmodi argumentum sane postularet ille locus, si eam ita commendare vellet (1). Pluribus posthâc observandis (cap. seq.) ansam daturum est de Angliae constitutione judicium apud MONTESQUIVIUM obvium.

Hoc loco animadvertendum solummodo; opus de *Ingenio Legum* a scriptoribus, quos refutare conatus sum, e serioris aevi notionibus fuisse dijudicatum, ut tecta scilicet consilia, curaeque tribuerentur Auctori, quae 40 demum vel 50 annis post, ex ipsius verbis elici possent.

§ 2. *Quid de operis proposito existimandum videatur.*

Jam solis libri, de quo agimus, locis adferendis adparuit, ni fallor, in iis, quae principio cap. recensui, *non* fuisse MONTESQUIVII propositum. Superest, ut exquiratur, quid reverâ sibi voluerit. Sic ex multiplici et variegato

(1) *E. d. L.* XIX. 27. Citato II. 4, eâdem periodo laudat Anglos, qui nobilitati jurisdictionem, et privilegia quaedam abstulissent, quia regiae majestati derogarent (saec. 16°), et vehementer carpit conatûs LAWII ministri, idem in Franciâ tentantis. Cf. deinde XI. 18; XII. 19; V. 19, extr. ubi de Anglis; »Une nation, où la république se cache sous la forme de la monarchie.”

spectaculo, quod lectoribus operis Montesquiviani ante oculos versatur, una notio, unus scopus principalis eminebit, quò aciem vertamus.

Vereor an id bene cessurum sit, nisi lectis semel atque iterum libris *de Ingenio Legum* applicetur sanae critices illud praeceptum: »Scripta dijudicanda sunt e ratione temporis, quo confecta sint." Maxime hoc adagium usu venit circa praestantes scriptores politicos, quippe in quos bifariàm vim suam exerceat saeculum, quo vivant. Cùm enim magis minusve imbuuntur ejus opinionibus receptis, tùm pro ingenii acumine animadvertunt et patefaciunt, quid sapienter, quid inepte fiat ab aequalibus.

Ita MACHIAVELLI prudentiae politicae praecepta, sensu fere carebunt, nisi assiduò ob oculos habeat lector, aequalibus Italis scripsisse, quos inter fides publica et privatorum nullius haberetur, concordia et vires deessent, quibus resisterent invasoribus, astutiâ et fraudibus omnia ad finem perducerentur. Tunc demum intelligitur, quo pacto vir patriae amans, libertatis fautor, Veterum scriptis quasi nutritus, fateri potuerit se morali hominum praestantiae fidem negare, et (alio loco) nullum principem sibi notum esse, quem MEDICEO suo, imitandi causâ, commendet, potius quam CAESAREM BORGIAM (1). Simul, ut monita ejus politica intelli-

(1) MACHIAVELLI, *discorsi sopra T. Livio* (vers. Fr. Hagae Com. 1743), L. I, ch. 3; »Les hommes ne font jamais le bien, que par nécessité, et là, où ils ont le choix libre entre le bien et le mal, et qu'ils peuvent mettre en pratique le dernier impunément, ils ne manquent jamais de remplir tout de confusion et de désordre." Cf. *del principe*, cap. 17. Ib. c. 7; »Raccolte adunque tutte queste azioni del duca (CESARE), non saprei riprenderlo; anzi mi pare, come ho

gantur, cognitae esse debent causae infortuniorum, quibus tunc laboraret Italia, quas sane egregie perspexit, ita ut aequales rerum veram conditionem in MACHIAVELLI operibus, tanquam in speculo, cernerent.

Eadem de saeculi efficaciâ in politicas meditationes, in singulis praestantibus saec. 16[i] et 17[i] scriptoribus observare licet, inprimis si adtendantur scientiae illa lumina, quae e discordiis intestinis Franciae et Angliae prodiêre, quippe qui et ea potissimum explicanda sibi sumerent, quae ob ignorantiam aequalium controversiis locum dabant, et malorum radices funditus evellendos digito monstrarent, tum verò etiam inviti vel volentes, partium studio ducti, illud saepissime produnt. Otiosum foret, hîc nomina et systemata multa recensere (1); duos tantùm e duobus illis saeculis scriptores paucis contemplemur oportet, priusquam ad MONTESQUIVIUM veniamus.

Primo sane loco praeclarus adeundus J. BODINUS, qui cum Nostro Auctore saepius comparatus, imò ejus *praecursor* (sit venia voci) vocari meruerit (2). Turbis, bellis, caedibus plenum erat tempus quo viveret BODINUS (obiit 1596); ex quibus omnibus, eo maxime perculsus et continuò offensus fuit vir et penes tribunalia munere decoratus (procurator fuit regius Lauduni), quique bis in coetu regni ordinum (Blaesiensi utroque) facundiâ excelluit, eo inquam, quod horrenda quaevis facinora, caedes, proditio, perduellio, eversio totius civitatis

detto, di proporlo ad imitare a tutti coloro, che per fortuna, o con le armi d'altri sono saliti all'imperio."

(1) Ea v. apud v. cons. TELS, *diss. de j. publ. a. HUBERUM*, pag. 186 sqq.

(2) LERMINIER, *introd. à l'hist. du droit*, pag. 67. HEEREN, *v. d. Entstehung u. s. w.* in *Werke*, I. Abth. III, pag 377.

cùm religionis causâ fierent, tùm malefici et tyranni crebrò ad rationes juris universalis provocarent, reverâ omni jure spreto. Sic horrenda illa conjuratio, quae *Liguae* nomine inclaruit, curabat complura scripta edi, quibus jus resistendi summo imperanti, licentiam tyrannos occidendi, potestatis denique regiae coarctationem quamcumque tuerentur et docerent, imò non semper dissimularent consilium suum, Franciam in democraticam formam convertendi, aut, sublato HENRICO III, regnum duci Lothariae deferendi. Horum adversarii argumentis maxime e S. Codice, et theologorum scholis, petitis, absolutam, inviolabilem, et divinam Regum majestatem praedicabant.

Ut cives suos meliora doceret, BODINUS moderatus adparuit monarchiae patronus. Ita celebrato opere, *reipublicae* fundamenta stabiliora ponere conatus; primùm societatis civilis universe originem veramque naturam, pro gradu quò tunc pervenisset politica doctrina, exploravit (l. I); dein acute a reliquis formis monarchiam secrevit (II); tandem, quid regiminis diversa forma in rerum gestionem, opes et prosperitatem efficiat (III et VI), quò tendant leges civiles et politicae (V), quaenam ceteroqui causae vim suam in fata populorum exerceant (IV). Hisce multae intextae sunt, ut ita dicam, observationes de antiquarum et Germanicarum maxime gentium institutis; ex quibus locis aperte egregium adparet propositum, aequales revocandi a temeris et falsis opinionibus politicis, magis etiam a perniciosis et nefariis ausibus, idque nixum verâ ac intimâ cognitione fundamentorum civitatis, nec non patriae legum (1).

(1) Cf. inprimis BODINUS, *de rep.*, l. I, c. 10; III. 4; IV. 3 7;

Hujus loci non est disserere, de eo, quantum doctrinae juris publici profuerit; BODINUS, aut quaerere an inepte librum suum referserit argumentis a re alienis, neque adtentione animi dignis (1). Sufficiat ita necessitudinem definivisse, inter ejus aevum, et opus, quo inclaruit.

Similia de GROTIO observanda, qui, dum bello tota Europa flagrabat (1625), exardescente inprimis Germanico illo 30 annorum, dumque talis erat imperantium agendi ratio inter se et in subditas, foederatas, et vicinas gentes, ut crudelis et fatuus LUDOVICUS XIII, multorum suffragiis, *Justi* cognomine gauderet, immensam adhibuit eruditionem, ut demonstraret, et belli et pacis tempore, jura aeterna, immutabilia, naturae insita inter gentes adesse et verò etiam applicari oportere (2). Quamvis summus ille nostras non immeritò ob ipsam eam doctrinae molem et farraginem vituperatus fuerit, quamvis frequentius fortasse, quam par esset, recentiorum actûs dijudicaverit ex antiquarum gentium institutis et sententiis, imò gravissima capita interdum exponat omissis praeceptis de ratione, quâ suo saeculo convenirent placita (3), tamen haec omnia nequâquam

VI. 5. LERMINIER, op. cit. pag. 55 sqq. *Des Corps Politiques et de leurs gouvernemens* (Lugduni 1764), vol. I, pag. 12 sqq., 259.

(1) VON RAUMER, op. cit. pag. 30 severe judicat de BODINO, severius etiam, quem RAUMERUS citat, ISAMBERT. Reprehenditur praesertim, quod physicen imperfecte cognitam et astrologiam politicae theoriae immiscuerit, ap. LERMINIER, pag. 64 et op. *des Corps Pol.*, vol. I, pag. 394; II, pag. 502; ubi spectantur loci BODINI, *de rep.*, IV. 2; VI. 6; maxime ejus placita de civitate gubernandâ ex numerorum proportione harmonicâ.

(2) Cf. GROTII, *dedicatio ad Regem Christianissimum; de J. b. ac p.* proleg., § 28 sqq.

(3) Ita *de J. b. ac p.*, l. I. C. XI, *de bello adversus superiores*,

impedivêre, quominus, cùm in disciplinam juris, tùm etiam in politicos gentium actûs vim exercuerit per Europam, majorem etiam puto, quam BODINUS apud cives suos.

Ita, quod ante BODINUM in jure publico, ante GROTIUM in jure gentium desiderabatur, id quidem et ipsi et multi eorum vestigiis insistentes praestiterant; sanioribus principiis nixae illae disciplinae; melius edocti videbantur homines.

Verùm enimverò, priori saec. 18[i] parte, in Franciâ saltem, omnem horum laborum fructum amiserat societas civilis. Namque, uti vidimus P. I. C. I, § 3, eâ levitate res internae et externae gubernabantur, tantam securitatem et jactantiam diutina honorum fortunarumque possessio indiderat ordinibus excelsioribus, ut, exceptis Jctis et historicis, politicas disciplinas, jura gentium, civilia, publica prorsus negligerent proceres, nisi quando agebatur de commodo vel gloriolâ, cui hoc illudve privilegium opportunitatem daret. Tunc tantùm ad jura vindicanda, aut fictum honorem tuendum proni erant illi, quibus fata Europae adversa arbitrium de gentium conditione dederant.

His adde, quod magis magisque apud illos etiam, qui rebus seriis adhuc delectarentur, ex usu recessisset Latinus sermo, Francice omnia agerentur. Illa mutatio per se minime nocebat studiis, siqui vere doceri cuperent; sed multis facultatem dabat, brevi tempore imperfecte quaedam discendi et indigesta proferendi in coetibus literatorum feminarumque, ubi nullius non

---

et l. II. c. XX, *de poenis*, ne verbo quidem Germanicarum gentium statuta memorat; semper in Hebraeis, Graecis et Romanis versatur.

generis negotia, ab ignaris aliquando, dijudicarentur. Deterrebat quoque is recentioris linguae usus, universe receptus, a legendis illis sapientiae saec. praecedentis monumentis (1).

Sic factum est, ut magni progressûs prudentiae civilis et juris doctrinae practicâ utilitate caruerint; nec magis quam haec, ullius pendebantur antiquae Franciae politica instituta, quae vidimus, quantum aggerem opponere potuissent arbitrariae potestatis ausibus. Unus de ejusmodi rebus sollicitudinem prodebat ordo ille Ictorum et magistratuum, cui rarissime auscultarent Principes. His memoratis, sponte ad A. N. redimus.

Montesquivius penitus noverat Francicam, imò Europeam illam, optimatium vivendi rationem et cum eorum praestantissimis magnam vitae partem degerat; simul, ut erat magistratus, et jurisperitus, nec unquam eum taedebat austeriorum studiorum, facile perspexit, quot quantique abusûs ubivis irrepsissent, et quantò melius res geri possent, si civitatum, quid? si suis ipsi commodis prospicerent imperantes, neque mentem averterent a veris juris publici et privati placitis. Itaque consilium cepit obviam eundi aequalium indoli, opere condendo, quo *Juris* (si fas est ita loqui) *utilitatem*, legum et institutorum qualiumcumque in regionibus, ubi adessent, summam sanctitatem et efficaciam doceret; porro explicaret, quanti pretii aestimandum foret, ut moribus, cultui et opinionibus receptis congruerent sancita a legumlatoribus placita (2).

---

(1) Cf. *Gesch. d. Staatsveränd.*, v. I, pag. 21.

(2) Apte dicit Pecquet, *Analyse raisonnée de l'E. d. L.* (Parisiis 1758), ch. XVI pr. »Il a senti la nécessité de ne pas séparer l'homme

Probe autem cavere voluit, ne, dum monstraret imprudentiam, injustitiam, absurditatem plurimorum abusuum, quos in patriâ doleret, ipsa instituta aggredi videretur; nam, uti jam supra probare conatus sum, procul remota erat MONTESQUIVII indoles a studio offendendi certandive, praesertim ubi aggredi debuisset potestatem dudum constitutam. Praeterea nimia acritas nihil ipsi profuisset, quum imprimis ab iis legi cuperet scripta sua, quorum agendi rationem immutari vellet. Neque enim sinebat saeculi ratio, aliis nisi proceribus, quamvis de rep. parùm sollicitis, offerri doctrinas de salute populi procurandâ et rebus publicis gerendis; nam *Opinio publica* salutaris illa, inter cives a rerum gestione remotos, vix nota erat aut intelligebatur, regnante LUDOVICO XV, quo tempore sexcentis exemplis probari posset, *tertium statum*, perinde ac ordines privilegiis ornatos, rerum conditionem tunc stabilitam immutabilem habuisse (1).

His causis scribendi Operis *de Legum Ingenio* accessit procul dubio studium, quaedam ab ipso excogitata vel aliunde recepta, de summi imperii partibus, de climate (novi-

---

de la loi, ni la loi de l'homme." Nec dissentire videtur LERMINIER, op. cit.; e. g. pag. 169; »Il était réservé à MONTESQUIEU de faire à la fois l'ouvrage, qui répondit le mieux à l'instinct de son siècle, et l'ouvrage, qui lui fût le plus contraire; *les Lettres Persanes* et *l'Esprit des Lois*." Quò processissent cultiorum et potentium hominum illa incuria et superbia, quibus in memoriam revocandi essent veri jurium et officiorum fines, patet inter plura e loco *E. d. L.* XV. 9; »*On entend dire tous les jours*, qu'il serait bon, que parmi nous il y eût des esclaves," etc.

(1) De ortu opinionis publicae cf. *Tafereelen der Staats-Omwenteling v. Frankrijk* (Amstelodami 1794), v. I, pag. 40, aliique scriptores de rerum conversione.

mus in physicis lubenter versatum fuisse Auctorem N.), de divitiis etc., proferendi et propagandi; porro laudandi tuendique magistratuum ea collegia, quibus ipse interfuerat, contra temeros aulicorum conatûs, qui tunc jam machinarentur, quod anno 1770 parlamentorum detrimento successit.

Probe autem mihi persuasum est, ejusmodi opiniones de causis, quibus ad scribendum compelleretur MONTESQUIVIUS, idoneo fundamento carere, si conjecturis aut exteris argumentis unice nitantur; adferendi igitur loci nonnulli ex ipsius viri scriptis, qui eadem suspicari certe doceant.

Primùm huc refero, quos supra (C. I, § 4) locos notavi, ubi consultò studuit seriis argumentis jucundam varietatem addere, ope facetiarum, earumque artium, quas in opusculo *de gustu* commendaret. Tùm porro ex epistolis ad familiares adparet, maximi momenti ipsum habuisse, ut ex primariis societatis ordinibus homines potissimum opus suum legerent, dum raró de eruditorum censuris tanquam de re multi faciendâ loqueretur (1).

Deinde Magni Operis praefatione inquit, praecipuam observationem, quâ illud nitatur, hanc esse; »homines in diversis legibus constituendis et consuetudinibus recipiendis non *temere* egisse" (»qu'ils n'étaient pas uni»quement conduits par leurs fantaisies").

(1) *L. F.* 28, 33, 37, 43, 45, ubi ait; »Bien de ces têtes diplomatiques se pressent trop de nous juger; il faudrait nous étudier un peu plus." Ib. notâ 5 responsum legitur Abbatis DI GUASCO, ad legatum quendam, qui *mali civis* opus vocaverat *de Ingenio Legum*; »MONTESQUIEU mauvais citoyen! pour moi, je regarde *l'Esprit des Loix* même comme l'ouvrage d'un bon sujet; car on ne saurait donner une plus grande preuve d'amour et de fidélité à ses maîtres, que de les éclairer et de les instruire."

Dignitas itaque, et veneratio legum, ex operis lecturâ, augeri debebant; tandem in eâdem praef. addit; »Je n'écris point pour censurer, ce qui est éta»bli dans quelque pays, que ce soit; chaque nation »trouvera ici les raisons de ses maximes; et on en ti»rera naturellement la conséquence, qu'il n'appartient »de proposer des changemens, qu'à ceux, qui sont »assez heureusement nés pour pénétrer d'un coup de »génie toute la constitution d'un état."

Alia etiam ibidem reperiuntur monita adversus ignorantiam et temeritatem gubernantium. Jam si ipsum Opus adeamus, cernimus, eos profectò locos fusius et melius reliquis esse elaboratos, quibus praecepta sua ad jus positivum, inprimis patriae suae, et solitas agendi formas applicet; unde conjicere licet, hosce, nec non libros de Franciae historiâ, summo cum ardore et oblectamento conscriptos esse.

Praesertim loci, de monarchiâ inscripti, licet nonnumquam universalia placita dare simulet Auctor, quò diligentius legantur, eò magis perspicuum fiet, solam intelligi Franciam. Quicquid usum vel abusum institutorum monarchicorum adtinet, eò spectat, scilicet ad antiquum hujus regni jus publicum, mores porro et licentiam saeculi 18i (1).

Adtendatur v. c. celebrata illa sententia; »Honos principium monarchiae est;" quam optime haec Franciae sub LUDOVICO XV conveniat, male autem alii cuicumque regno. Etenim honoris ille sensus, quem ob oculos habuit MONTESQUIVIUS, ipso judice, quaedam est generosa quidem, audax et superba, sed falsa de homi-

---

(1) Cf. *E. d. L.* II. 4; III. 7; VI. 5; IX. 7, etc.

num officiis et juribus opinio, juncta vehementi studio placendi Principi; qualia aulicorum ceteroqui propria sunt. Francica autem ita se habebat gens, ut aulici mores per totam regionem extenderentur. Solius igitur Franciae proceres, Franciae ordines privilegiis fruentes, quos docuerat diuturnum LUDOVICI XIV regnum, in omnibus aulae exemplum et principis adprobationem sectari, *honoris* studium istud sentire poterant, atque eo ita commoveri, ut axis illud et fulcrum fieret regiminis. Quae cum ita essent, aequalium mores nec laudat, nec vituperat, tantùmmodo bene sibi cognitos fuisse ostendit MONTESQUIVIUS (1).

Quoniam igitur praecipuis illis locis, monarchiae adpellatione Franciam significavit, haud aliò eum spectasse existimandum est, quotiescumque diplomatica consilia, gubernandi ratio, omniaque, quae in salutem Principis et monarchiae instituenda putat, agitantur.

Praeter haecce, innumera in opere *de Ingenio Legum* capita sunt (quae singillatim citare, supervacaneum arbitror), ubi causas, indolem, historicam vim, et utilitatem Franciae institutorum adtendit, quem in finem procul dubio insertus est liber XXVIII. Procedendi item formas et moras Francicae multiplicis jurisprudentiae proprias magni facit (l. VI), monarchiae opti-

---

(1) *E. d. L.* III. 1; ib. 6; »L'honneur, c'est à dire, le préjugé de chaque personne et de chaque condition.... peut, joint à la force des loix, conduire au but du gouvernement;" ib. 7; »Il est vrai, que, philosophiquement parlant, c'est un honneur faux, qui conduit toutes les parties de l'état; mais cet honneur faux est aussi utile au public, que le vrai le serait aux particuliers, qui pourraient l'avoir." Cf. IV. 2, ibique *Anonymus* n. *d*; V. 19; XXVIII. 20 sqq. Item ad eos locos notae GENOVESII versioni Italicâe additae.

me congruere docet, nec ita facile simpliciores reddi posse, nisi quis velit libertatem civilem pessum dare.

Semper eò tendunt monita illa et historica exempla, quae laudat, ut singuli societatis civilis ordines suam dignitatem tueantur, nec leviter recedant ab indole suae quisque constitutionis. Praesertim neque superbius sese efferat, neque deprimatur nobilitas militaris, neque magistratuum dignitati derogetur, monet. Namque saepius statuit et urget, (pristini muneris haud immemor) utilissimam, imò necessariam, ut regnum incolume servetur, esse parlamentorum auctoritatem politicam (1).

Eòdem tendere videntur acutae distinctiones inter regna monarchica et despotica, quorum illud ubique praecipuum pronunciatur criterium, quod in monarchiâ diversi sint civium ordines, et curiae vel collegia publicâ auctoritate praedita; secus in despotae ditione (2). Ab hâc autem imperii formâ lectores suos absterrere summopere enitebatur.

Denique hujus § summarium hocce videtur addendum: *Ex aetate et indole* MONTESQUIVII *cognitis, nec non e compluribus operum locis patet, eum occurrere voluisse malis, quae censeret patriae et Europae instare e neglectis* LEGUM *studiis penes imperantes et*

(1) *E. d. L.* XIII. 20; »Il y a un lot pour chaque profession. La gloire et l'honneur sont pour cette noblesse, qui ne connaît, qui ne voit, qui ne sent de vrai bien, que l'honneur et la gloire. Le respect et la considération sont pour ces ministres et ces magistrats, qui, ne trouvant que le travail après le travail, veillent nuit et jour pour le bonheur de l'empire."

(2) V. inter plura *E. d. L.* VIII. 6; »Les monarchies se corrompent, lorsqu'on ôte peu a peu les prérogatives des corps, ou les priviléges des villes. Dans le prémier cas, on va au despotisme de tous, dans l'autre au despotisme d'un seul."

proceres. Itaque in horum usum opus conscripsisse, ut cum justitiae praecepta, tum formas legitimas majorum et historiae monita, debitâ adtenderent sollicitudine, simul ut modus imponeretur levitati et ignorantiae in rebus politicis suscipiendis agendisque (1). Tantùm de proposito.

§ 3. *De argumentorum delectu et distributione in opere de Ingenio Legum.*

Itaque, explicitis e meâ sententiâ causis, quibus ad opus suum conscribendum motus fuerit MONTESQUIVIUS, ad distributionem et delectum argumentorum procedendum videtur. Quâ de re gravissima vituperia tulit A. N.; et agendas mihi existimo defensoris potissimum partes, quippe injuste habitum videtur consilium operis a plurimis criticis (2). Horum judicia eò imprimis redeunt, ut Auctori exprobrent, *quod in opere de Ingenio Legum nullo ordine congesserit de diversis maxime rebus effata; quod ethicen, politicen, jus naturale commiscuerit; et quod temere posuerit theses universales, quas non recte demonstratas ad singula facta applicaret.* Confusas hinc notiones, imperfectam scientiam rerum, quas scire maximopere opor-

(1) V. *Observ. sur l'E. d. L. par M**** (DE LA PORTE), pag. 3, 9, 12, 44. VOLTAIRE, *commentaire sur quelques maximes de l'E. d. L.* ch. XXVIII. Idem, *Dict. philosophique,* art. *Lois* (*Esprit des*). v. HALLER, *Restauration d. Staatsw.*, v. I, pag. 56 sq.

(2) Hinc temera illa aequalium judicia, quae saepius deinde repetita audiuntur; e. g. dominae DU DEFFANT, quae de libro dixit; »C'est de l'esprit sur les lois;" item abbatis DE LA PORTE; »C'est le portefeuille d'un homme d'esprit."

tebat; et facetum solummodo ingenium, quo unice his defectibus subpleret, nonnulli in MONTESQUIVIO cernunt (1).

Hâc autem de re affirmandum puto, partim falsa esse, quae adferuntur, partim, ubi a solitâ methodo recesserit MONTESQUIVIUS, non ex errore, sed consultò ita egisse, perinde atque supra (C. I, § 4) de stylo et ratione singula argumenta explicandi vidimus. Id verò me effecisse putabo, si probare potuerim;

1°. Eo ordine exhiberi varia argumenta, qui propositi amplitudini conveniret;

2°. MONTESQUIVIO non ita confusas fuisse notiones de ethices, politices, et juris finibus;

3°. Placita universalia illa exprobrata adeo, secundarium tantùm locum in Auctoris consiliis obtinuisse;

4°. Adtendam, quae critici dixêre de ejusdem malâ fide in citationibus et factis allegandis.

I.

Ordo igitur in opere *de Legum Ingenio* ut servaretur, tanti momenti visum est Auctori, ut initio normam sibi praescripserit, unde vix quicquam deflexit. Quod ut manifestum sit, sufficiat, unam hîc periodum

---

(1) Consilium fere ejusmodi, quale, scribendo opere *de Ing. Legum*, exsecutus est, invenire potuit in Anglici philosophi F. BACONIS scriptis, quae an nôrit, nullus dubito. Hic enim, *prooemio* ad *Tractatum de Fontibus juris seu Legum leges*, desiderari ait scriptorem, qui eâ ratione leges intueatur, ut conciliet Jctos semper de jure positivo sollicitos, et philosophos saepe ab usu remota praecepta dantes. Ibidem S. I, aphor. VIII et S. V, aphor. XLVI, sententia invenitur, quam prae ceteris tuitus est Noster; cujus item liber XXIX *de Legum confectione* multa habet congrua BACONIS *Legum legibus*, S. IX et X. Cf. Idem, *de augmentis scientiarum*, L. VIII, c. 3.

describere ex L. I. Cap. III, appositis locis, quò singula referenda sint. Ibi enim MONTESQUIVIUS; »Leges," inquit, »congruere oportet naturae et principio singulorum regiminum sive exstantium, sive constituendorum" (quibus de rebus quaestiones agitantur L. II—X) »sive regimini efformando inserviant, uti leges politicae, sive ei conservando, puta leges civiles. Conveniant porro naturae propriae regionis, climati glaciali, torrido, temperato" (XIV—XVII) »soli naturae, situi, magnitudini" (XVIII) »vitae generi populorum, prouti sint agricolae, venatores, pastores;" (XIX) »diversae sint respectu libertatis, quantum ejus ferat regiminis constitutio" (XI—XIII); »incolarum religionis" (XXIV, XXV); »rerum, quibus egent vel abundant; ipsorum numeri" (XXIII); »mercaturae et consuetudinum" (XX—XXII). »Denique inter se cohaereant, neque recedant ab origine suâ et legumlatoris propositis" (XXVI et XXIX), etc. Reliquis libris (XXVII, XXVIII) item de causis et ingenio legum quaesivit, sed ita, ut suam methodum magnae parti historiae legum Romanarum et Francicarum applicaret. De appendice operis, sive ultimis libris (XXX, XXXI) jam vidimus, c. II, § 3.

Quantùm igitur argumentorum illam enumerationem adtinet, unica notabilis mutatio, quam factam deinde cernimus ab Auctore, dum totum opus elaborabat, est, quod animadversiones suas de legibus, ratione libertatis habitâ, statim subjunxerit dictis de regiminum principio. Est igitur reverâ opus *de Legum Ingenio;* »Immensi prospectûs, at non temere delineati (1);" et inepte

(1) POPE, *Essay on man*, Ep. I, v. 6; »A mighty maze, yet not without a plan."

egerunt ii, qui Montesquiviani laboris utile compendium se facturos crederent, dum hinc illinc ex opere placita congererent aliâ, quam Auctoris fuerat, mente; ut scilicet trunca et saepius nec sibi congrua, neque cohaerentia, religionis, politicae prudentiae, juris civilis etc. systemata exsisterent (1).

Alia autem quaestio agitari possit, num apud Auctorem N. semper suo quaeque loco veniant, num continuò, dum hoc illove respectu de causis legum condendarum ageret, cetera considerationi subjecta reliquerit. Imò id saepissime ab ipso neglectum fuit; sive potius, uti supra ostendere conatus sum, ei methodo studuit, quam secutus plurima simul et nova lectorum menti offerret; neque magnam curam impendit iis locis, ubi ab alio ad aliud argumentum transeundum esset. Hoc omisit, ut lector sibimet videretur aliquid invenisse, ut igitur vanitati legentium placeret liber; illi methodo studuit, ut animos novi discendi curiosos alliceret.

Nec diversus scopus fuisse videtur is, quo tenderent tot exempla et descriptiones aut narrationes, quot pro sententiis suis adferre solebat e longinquis regionibus et populis minus cultis. Quâ de re animadvertendum etiam, non diu, antequam ederetur opus *de Legum Ingenio*, complures in lucem prodiisse itinerum narrationes, plerasque a Missionariis confectas, quae moribus Orientis et Australium gentium multum luminis

---

(1) Ita DE LA PORTE, *Observ. sur l'E. d. L.*, pag. 13 sq. Et auctor insulsi libelli, cui titulus; *le Génie de* MONTESQUIEU (Amst. 1760), qui adeo promiscue adfert locos ex *epistolis P.* cum capitibus *de Ingenio Legum*.

adfunderent. Inprimis de Sinensi regno, magni momenti notitiae tunc in vulgus spargi coepêre, cujus instituta et regimen et olim admiratus fuerat supra modum MATTHEUS VOSSIUS, et jam melius cognita laudibus efferebat CHR. WOLFFIUS (1). Alia complura itinera mercaturae causâ promovendae aut tuendae, inprimis Francorum in Indiâ conatûs, et celebratum illud ANSONI iter, multorum mentem in longinquas insulas et regiones direxerant (2). Hinc A. N. etiam judicavit, easdem viri politici adtentione indignas non fore, et crebrò citat mores legesque eorum, qui Indiae varias partes, Americanas, Japanenses, Latronum, Moluccarum, alias insulas incolunt.

Solent eae citationes frequentius in opere occurrere, ubi efficaciam institutorum in populi mores et rursus morum in leges condendas patefacere cupit; id melius lectoribus persuasum fore arbitratus, si undique terrarum exempla congerantur (3): porro (in locis de reli-

---

(1) Cf. DESTUTT DE TRACY, *comm.* (v. Germ.), I, pag. 198. VON RAUMER, *Gesch. Entw.*, pag. 72. BAZIN, *la Chine* (Paris 1833), I vol. préf. Prodierant initio saec. 18i »*lettres édifiantes et instructives*" scriptae a Missionariis e Soc. JESU, inter quos eminebat P. DU HALDE.

(2) Sic saepe apud MONTESQUIVIUM laudantur Itinera suscepta ad condendam Indicam Francorum Societatem, de quibus cf. RAYNAL, *hist. pol. et phil. des deux Indes*, L. IV, c. III sqq. Quod ad ANSONUM adtinet, verum quidem est, anno demum 1748 (Londini) primùm editam esse narrationem ab itineris socio WALTERO conscriptam; sed inde a reditu GEORGII ANSONI (1744) de ipsius rebus gestis et repertis plurima evulgata fuerant in diariis; ita ut, aliquo ante opus *de Legum Ingenio* conditum tempore, jam excitarentur homines cultioris societatis ad notitiam insularum Orientis et Polynesiae sibi comparandam. De Latronum archipelago, etc. cf. ANSON's *Travel*, B. III. Ch. II—VIII.

(3) E. g. *E. d. L.* V. 14; VI. 9, 13, 18; VIII. 6; IX. 4; X.

gione) ut sub specie longinquas gentes memorandi reprehendere audeat ecclesiae quaedam instituta (1); nec etiam desunt loci, ubi mere ornandi et alliciendi causâ, gentes longinquae citari videantur.

Saepius de regno Sinensi locutus est MONTESQUIVIUS, nec universe nimia ejus admiratio penes ipsum cernitur. Unum verò quod prae omnibus etiam atque etiam laudat circa Sinensium mores, arctum illud est vinculum, quod apud eos intercedere ait inter leges et vitae privatae consuetudines habitûsque, quae in Europâ dolens videbat acriter adeo inter se invicem dissidere. Hoc enim vinculum est, non ipse CONFUCII codex, quo delectetur, ubi summo studio perlustrat leges ejus populi civiles, licet pridem dixisset, baculo, non ratione, ipsum regi oportere (2).

Talia ergo reliquis intexta ordinem, nexum aut consilium minime turbant. Majorem, fatear, suspicionem pravae argumentorum distributionis moveret capitulorum index, quippe qui dissimilia valde sibi invicem proxime collocata exhibeat. Sic e. g., quod censuram haud fugit, in libro, cujus rubrica fert; *de diversitate soli, respectu legum habito;* caput invenitur *de crinibus Regum Francorum* inscriptum (3).

Verùm enimverò, quamvis nonnumquam Auctori N. male cesserit capitibus rubricas aptare; ipsum tamen contextum melius cohaerere apparet, siquis scru-

---

15 sq.; XII. 14; XIV ad XVII passim; XVIII. 10 sq.; XXIV. 11 sq.; XXVI. 14.

(1) *E. d. L.* XXIV. 22, 25, 26; XXV. 15, etc.

(2) *E. d. L.* XIX. 16, 17, 19; coll. VIII. 21. Ceteroqui de Sinâ v. ib. VI. 20; VII. 6; XII. 7; XVIII. 6, ibique GENOVESI, n. 1.

(3) DESTUTT DE TRACY, *Comm.* (v. G.), v. II, pag. 86. coll. *E. d. L.* XVIII. 23.

pulos istos sustulerit. Fortasse operi multum profuisset, si continuâ magis oratione usus fuisset; at ita non putavit, suo ipsius praecepto satisfieri; *majoris esse, ut multum cogitetur, quam ut multum legatur.*

Jam ad alteram de argumento meo sententiam procedendum.

II.

Montesquivius, etsi plerùmque promiscue utatur rationibus ex ethicâ, jure, politicâ prudentiâ sumtis, *distinctas tamen sibi fuisse prodit notiones earum disciplinarum.* Certe nisi habuisset, aequalibus suis sequior fuisset; nam notum est, quantis incrementis ante eum auctum fuerit jurisprudentiae universe studium. Grotius enim et püffendorfius jamdudum terminos ejus partium definiverant; et inprimis thomasius eo respectu de singulis praeclare fuerat meritus; item lockius jus naturale sejunctum ab ethicâ et politicâ prudentiâ docuerat (1).

Nec reverâ confusas montesquivio notiones fuisse, efficere conabor ex primo illo operis libro, ubi utile fore existimavit, placita universalia quaedam exponere, ne male intelligerentur ipsius sententiae de legibus positivis. Ipsa autem haec placita, et male intellecta, et injuste vituperata a nonnullis fuêre.

Illîc autem, quum (c. 2) ad *naturae leges* retulerit

---

(1) Grotius, *de J. b. ac p.* L. I. C. I. § 10. Püffendorf, *de officio h. ac c.* L. I. C. II, C. III. § 8 sq.; L. II. C. XI. Thomasius ap. v. raumer, op. cit. pag. 67. Locke, *du gouvernement civil*, C. I. § 2 sqq. Procul autem absit, ut perhibeam, apud illos scriptores adeo egregie secerni ethices et juris officia, atque id fecit kantius. Contra, püffendorfius discrimen, quod ipse statuit, minime ubique tuetur; lockius, licet hoc vitio non laboret, eo errat, quod e statu naturali fictitio jus naturale repetat.

hominum naturales appetitûs et societatis desiderium, putârunt nonnulli, ipsum *jure naturali* comprehendisse, quae eò non pertinerent, nec, nisi in *statu naturali* seu extrasociali, jus istud male intellectum admittere (1). Attamen cavisse videtur ipse Auctor, ne quis *leges naturae*, quas vocat, cum jure naturali confunderet.

Quippe duas, variis locis, *legum* definitiones exhibet; alteram universalem, secundùm quam *lex* sit »relatio necessaria, e rerum naturâ depromta"; alteram, quâ docet, legem esse, »humanam rationem, hujus mundi rebus regundis applicatam." Quae inter hasce definitiones primo aspectu adparet repugnantia, evanescit, si adtendimus, quae intercedunt; observationes scilicet de statu extrasociali et societatibus condendis.

Etenim prior definitio comprehendit leges, cùm physicae, tùm psychicae naturae hominum, quas aeque certas et fixas utrique esse opinatur: »nam," inquit, »quamvis naturae intellectu praeditae non exstitissent, tamen si fingerentur, non aliter fingi possent, nisi cum relationibus juris et ethices" (L. I, c. 1). Id autem discriminis obtinere putat inter leges hominem regentes, quod ad ipsius naturam animalem, et quibus psychica natura subest; quod illae violari non possint, et naturae animali sponte inhaereant, ut iis vel invita obsequatur; quum has contra et sequendi et violandi opportunitatem hominibus praebuerit Deus.

Capite I agit de utrâque legum specie, et eas in abstracto sumtas inevitabiles esse demonstrat, quaestionem simul tangens, num ante mundum a Deo creatum ex-

---

(1) *Remarques d'un Anonyme* ad *E. d. L.* l. 1, notâ *h*; c. 2. n. *m*, *p*; c. 3. n. *r*. GENOVESI ad c. 2. n. 1.

stiterint; quod negare videtur, quum dicat, Creationi immotas inesse regulas, unde rerum natura recedere nequeat (1). Ut autem detrimento succurratur, quod homines paterentur, si negligerent leges, quas violare possunt (naturae psychicae), tria inventa sunt (MONTESQUIVII propriis fere verbis utor): religio positiva, sive eam Summo Numini debeant homines, necne, morum disciplina, et leges cùm politicae, tùm civiles (2). Hinc sponte sequitur, licet non expresse addiderit Auctor, legibus illis originariis, quas *relationes necessarias* vocat, comprehendi religionem natúralem (3), ethicen et *jus naturale;* eaque a se invicem distingui.

Legum autem *naturalium* appellatione aliud quid designavit. Namque finxisse sibi videtur lectorem interrogantem et objicientem: Quid? si in abstracto leges naturae psychicae necessariae sint, nec evitari possint, nonne aliâ ratione applicari poterunt in humanam vitam, nisi per leges positivas, nonne contrà maximam vim exercebunt in statu extrasociali? (4) — Fictam

(1) *E. d. L.* I. 1; »Dieu agit selon ces règles, parcequ'il les connait; il les connait parcequ'il les a faites;" etc. Secus GROTIUS, *de J. b. ac p.* L. I. C. I. § 10, nº. 5.

(2) *E. d. L.* ib. extr. »Un tel être (intelligent) pouvait à tous les instans oublier son Créateur; Dieu l'a rappelé à lui par les loix de la réligion; un tel être pouvait à tous les instans s'oublier lui-même; les philosophes l'ont averti par les loix de la morale; fait pour vivre dans la société, il y pouvait oublier les autres; les législateurs l'ont rendu à ses devoirs par les loix politiques et civiles."

(3) Cf. *Défense de l'E. d. L.* p. I extr.

(4) Talia objici potuisse ex opinionibus complurium scriptorum, videre est ex commentatione v. cons. H. A. HARTOGH, *de opinionibus eorum, qui jus naturae nonnisi in statu naturali adesse censeant,* etc. (praemio ornatâ ab acad. Gron. facultate Jur. in Ann. A. G. 1835—1836), cap. II.

hanc objectionem solvere aggreditur cap. II, ubi inquirit, quas tandem relationes mutuas, nullo duce, extra societatem, inventurum foret genus humanum. At, quum soleret a scriptoribus status extra societatem *naturalis* vocari, hunc morem secutus Auctor Noster, *leges* etiam, quibus obsecuturi essent homines ejusmodi conditione utentes, *naturales* nuncupavit. Perperam, ut puto, nam obscuritatem genuit ea appellatio.

Harum verò legum quatuor recenset, omnes ex hominis naturâ animali derivatas; primam scilicet *pacis* legem, quam vocat, quâ, quum se defendere nesciant homines extrasociales illi, omnem cum validiori contactum evitent, quippe fortitudine carentes (haec enim nihil aliud est, nisi roboris sui sensus); alteram *alimenta quaerendi*; tertiam, *gignendae prolis*; quartam, *expetendae societatis.* Haec sola quoniam propria sunt statui extrasociali, ut ad altiora quaeque progrediantur homines, societatem condi oportet. At non ita expedite hoc fieri solet; quoties enim in societatem convenêre nonnulli, apparet virium inaequalitas; plura sibi cupere incipiunt validiores, et bella, cùm inter partes ejusdem societatis, tùm inter societates diversas oriuntur. — *Inde*, ex Auctoris sententiâ, *variae exsistunt leges publicae et privatae* (1).

Ne hîc ἀνακόλουθον esse videatur, pauca quaedam supplenda puto, quae MONTESQUIVIUS voluisse censendus

(1) *E. d. L.* I. 3 pr. Hunc locum Hobbesianismi arguit *Anonymus* n. r. Mire, nam expresse contrarium dixit HOBBESIUS, scilicet, societate condendâ tolli aut minui belli conditionem inter homines. V. *de Cive,* C. I. § 12, 13. PUFFENDORFIUM potius secutus Auctor N., qui omnem hominum cohabitationem *societatem* vocat, etiamsi desint pax et norma quaecumque, *de Off. h. et c.* L. II. C. II sqq.

est ex iis quae dixit l. I, cap. 3 m. et extr. Bella illa recentium societatum propria id efficiunt, ut complures sibi auxilium ferentes in unum *corpus morale* coalescant, ut in singulis societatibus adsint *nonnulli*, quibus reliqui parere debeant, tandem, ut *diversae societates* sibi invicem adversariae esse coeperint. Corpus illud morale *civitas* est, et sociorum inter se jura *legibus civilibus* reguntur; illi, quibus reliqui parent, *imperantes* sunt, et hinc *politicae leges;* societates inter se discordes, *gentes* audiunt, unde *jus gentium.* Singulis hisce tribus rationibus, homines subsunt *legibus necessariis;* hae enim extendunt sese ad omnes omnino casûs, qui exsistere possunt. Verùm eosdem homines inopia docuit, condendas leges positivas, ut determinetur civium, imperantium, populorum mutua relatio; quarum legum placita, si dictaverit recta ratio, non discrepant a legibus universalibus.

Id si non omnes legumlatores consequantur, enituntur saltem; eorum itaque operam definivit MONTESQUIVIUS: »rectam rationem hominis, applicatam rebus hujus mundi regundis;" et ait, siquis leges singulorum populorum inspiciat, fore ut cernat »casûs peculiares, quibus eadem illa *ratio* applicata aut applicanda sit" (1). Sic, puto, explicandus Liber I operis, ut dissensus ne adsit in Auctoris verbis. Quum autem non semper voce maxime idoneâ usus fuerit, facile hunc librum legentes

(1) Sic me refutasse spero *Anonymi* dubitationes, ad *E. d. L.* I. 3, n. *y;* »Plus haut, les loix étaient des rapports, ici la loi est la raison humaine, les loix sont des cas particuliers; conséquemment il faut que la raison humaine soient des rapports. Qu'on débrouille ce chaos d'idées!" Cf. CREVIER, *obs. sur l'E. d. L.*, pag. 72 sq. qui nihil de primo illo libro intellexisse videtur.

in eum lapsi sunt errorem, ut confunderent, quas A. N. vocat *leges naturales*, cum placitis juris universalis, quod si ipse ita intellexisset, nullam jurisprudentiae notionem ei fuisse oporteret.

Sequitur, ut videamus, utrùm MONTESQUIVIUS discrimen tenuerit inter *jus publicum universale* et *prudentiam politicam*, an verò juris placita e solâ utilitatis ratione derivari crediderit. Quâ in re nullius momenti est, quod in dijudicandis variis institutis semper fere, quid utile sit, quid noxium, disquisierit, raro quid justum sit. Nam quum de ingenio et causis legum scriberet, eae autem non ex universalibus juris placitis, sed e rebus, tempore, loco diversis repeti soleant, haec multò magis quam illa, adtendere debuit. Secus fuisset, si agendum foret de jure constituendo, uti illud intelligebant seriores saec. praec. philosophi, quo casu scilicet universalis juris praeceptis aptare leges, quantùm id fieri posset, ipsi propositum esse debuisset.

Porro ad eos, qui utilitatem loco juris substituere voluerint, refertur nonnumquam MONTESQUIVIUS, ob celebre illud, quod protulit et saepe adhibendum docuit, effatum: »Salus populi suprema lex esto" (1). At si comparantur ea verba cum proxime praemissis, adpa-

(1) *E. d. L.* XXVI. 23. Illud VON HALLER, *Restauration*, v. I, pag. 56 nuncupat (κατ' ἐξοχὴν) »*das falsche Prinzip;*" verosimiliter, quia existimat, id cum jure divino summi imperii in concordiam redigi non posse. Aliter opinatus erat HOBBESIUS, qui idem de populi salute statuit, *de Cive*, c. XIII. § 2, statim ut dixerat ib. § 1; »Ubi is, qui jus regni obtinuit, omnibus judiciis, consultationibus, actionibusque publicis ipse interesse vult; ibi administratio talis est, ac si Deus praeter naturae ordinem seipsum ad materiem omnem immediate adplicaret."

ret, nil aliud iis intelligi ab Auctore, nisi, quod populi causâ leges adsint et imperantes, quod lex publicae saluti debeat convenire, nec ulla lex adeo fundamentalis sit civitatis, ut reipublicae servandae causâ abrogari nequeat.

Verùm quantùmvis de commodo et incommodo disputàrit MONTESQUIVIUS, quamvis raró examen instituat an haec vel illa lex absolute justa fuerit, aliquando tamen prodit, quanta fuerit ipsi reverentia juris, semoto etiam commodi sensu.

Ita quum (libro X) consideraturus sit leges, quibus condendis opportunitatem dederint bella et invasiones, incipit de bello quaerere, an umquam justum esse possit, atque ita ratiocinatur:

Gentes quum, citra pacta, jure tantùm naturali inter se regantur; hujus autem primaria pars sit sui ipsius tutamen, quaecumque necessaria sunt ut se incolumes servent, facere iis licet. Nec quicquam discriminis adest, si Auctorem N. audias, inter bellum offensivum et defensivum, quod ad jus adtinet, licet effectu plurimùm differant; nam, ut incolumis servetur respublica, necesse aliquando est, ut copiae in alienum territorium se conferant, neque id sufficit, ut injustitiam adesse statuamus. Dein, non salutis, sed justitiae causâ, principes monet, ut caveant, ne ex dominandi aut gloriae studio bella gerant (1).

---

(1) *E. d. L.* X. 2. Huic MONTESQUIVII sententiae adversatur *Anonymus* ad l. c. n. *a.*, laudans opusculum, *l'E. d. L. quintessencié*, I, pag. 297, ubi proponebatur regula, »ut belli offensivi justitia clare et manifeste pateat, ne dubitatio de facto aut jure oriri possit." Hoc autem eòdem redit, atque N. Auctoris verba; »le droit de la guerre dérive de la nécessité et du juste rigide."

Item paulò inferius, ubi e doctrinâ de commodo et incommodo explicaverit varias agendi rationes eorum, qui territorium alienum occuparunt, et variam hinc ortam positivam jurisprudentiam, satis aperte indicat, omnia quae exposuit, justitiae universali haud convenire, et subjungit: »Jus invasoris necessarium est, legibus definitum; at eas adfert calamitates invasio, ut, qui occupet terram alienam, magnam semper resarcitionem debeat juribus naturae humanae."

Alii etiam sunt loci, ubi ad legem naturalem provocat, ceu aeternam justitiae normam, quae ex ipsius mente minime confundenda cum legibus illis hominum extrasocialium, quas L. I, c. 2 *naturalium* nomine designârat (1). Liber denique XXVI, *de legibus ratione argumentorum habitâ, de quibus latae sunt*, integer fere eum in finem est comparatus, ne errore, confusione vel dolo malo, multiplex et inextricabilis fieret jurisprudentia, atque ansam ita praeberet juris universalis placitis violandis. Ibi, postquam distinxerit leges divinas ab humanis; ex hisce, ne confundantur inter se politicae, civiles, gentium, canonicae, ecclesiasticae, saeculares, etc. exemplis allatis monet. Semper illa exempla eò valent, ut ostendatur, non observatis regulis ab Auctore propositis *justitiam* violari. Ante omnia praecipit, caveatur, ne legi naturae repugnent humana instituta, et complures indignatione prosequitur legumlatores, qui neglexerint illam legum positivarum condendarum mensuram.

(1) *E. d. L.* X. 4. sqq.; XXI. 21; »Les nations, qui sont à l'égard de tout l'univers ce que les particuliers sont dans un état, se gouvernent comme eux par le droit naturel, et par les loix qu'elles se sont faites."

Tum expositurus, quibus casibus (silente juris originarii doctrinâ) pro lubitu possit imperans quidvis lege politicâ vel civili statuere, quaestiones singulares aggreditur et explorat, de successione privatorum et principum, de matrimoniis prohibitis (1) etc. Dein ad alia convertitur oratio.

Ita sponte ejusdem illius libri lectio eò me duxit, ut observarem proprium eum MONTESQUIVII morem, quem tertio loco exponere decreveram, ut rite dijudicetur vera ejus methodus et ratio operis scribendi.

III.

Spretâ enim sententiâ Criticorum, quos supra memoravi, statuendum videtur, *secundarium modò locum in Auctoris consiliis obtinuisse placita universalia.* Sin quaeritur, quid igitur priori respectu apud ipsum venerit, respondendum arbitror: »Sanioris politices regulae, quas Europae gubernantibus inculcare voluisset.” Haec sententia quò magis congruit cum iis, quae § praec. protuli de proposito operis, eò pluris interest, ut appareat, ita se rem habere.

Primùm igitur, compluribus locis MONTESQUIVIUS nullam omnino regulam de genere praemittit, unde ratiocinia de speciebus et singulis casibus profluant. Ita e. g. quando de variis regiminum formis dicturus est, frustra exspectatur aliquid de jure imperantium et populorum abstracte sumto, nullâ formae ratione habitâ. Porro item de legibus, religionis ratione prae-

---

(1) *E. d. L.* XXVI. 3—6, 14. Egregie c. 15; »Le bien public n'est jamais, que l'on prive un particulier de son bien par une loi, ou un règlement politique.”

cepta daturus, nullam regulam exhibet de conscientiae libertate, deve finibus civilis et ecclesiasticae potentiae, verùm confestim, ut argumentum indicavit, transit ad certas quasdam cultûs formas et legum de cultu instituta singulatim recensenda, etc. (1).

Ubi autem de regiminis formis egit, quamvis initio acute discernere videatur quae singularum formarum propria sunt, ratione habitâ naturae cujusque regiminis diversae pro locis temporibusque; postea tamen lectori patet, semper ei ob oculos versatas fuisse certas quasdam regiones, utpote Franciam, quum de monarchiâ loqueretur, Romanam et Graecas civitates, quando de aristocratiâ et democratiâ; ac ita nonnumquam peculiaribus illis contemplationibus abducitur a sententiâ universe positâ, ut, e. g. in antiquis rebuspublicis mixtum videns optimatium et populare regimen, promiscue pro utroque vocem *république* usurpârit, ita ut nescias, de quânam formâ agat; probe scias de quonam populo, quibusnam temporibus (2). Ipsa adeo virtus politica, quam eximie commendat in democraticâ formâ, reverâ antiquis tantùm populis convenire poterat; quippe recentiores neutiquam ita patriae rebus intenti esse possunt, ac Graeci fuerunt et Romani. Hinc quoque ducendum videtur, quod aequalitatis in rebuspublicis liberis laudem efferat idem ille, qui acriter adeo ex sui temporis ratione collegia magistratuum, hereditaria privilegia et ordinum discrimen tuitus est. Eadem, quam proposui, sententia

---

(1) Legantur loci *E. d. L.* II et XXIV princ., ubi ejusmodi quid deesse sentitur. Cf. DESTUTT DE TRACY, *comm.* (v. G.), I, pag. 12; II, pag. 179 sqq.

(2) *E. d. L.* IV. 5; V. 17, 19, qu. 5; VI. 4; VII. 4; XII. 20 sq.; XXIII. 7.

firmatur innumeris Auctoris digressionibus, quas afferre taediosus foret labor, unde verò apparet, illos locos maximo ardore et studio elaboratos, qui singula facta historica vel exempla continent; atque, simulac placitum universale quoddam scripto condiderit MONTESQUIVIUS, festinare eum (ut ita dicam), ut quam citissime sequatur ejus applicandi ratio.

IV.

Quid verò? si illis assentiendum sit, qui perhibeant, malâ fide versatum esse A. N. in citandis scriptis et factis, ut historicam veritatem postponeret opinionibus praejudicatis suis. Gravis ita criminis reus evadit Auctor; multò autem minoris nos ducere oportebit accusationem, si adtenderimus exiguum numerum locorum, quae adferuntur a Criticis, singulatim eam assertionem probare conatis.

Obiter praecipui memorandi videntur. ERNESTIUM autem, CREVIERIUM, BACHIUM mittam, quippe qui aut reprehenderint minutas incuriae notas, aut, a MONTESQUIVIO dissentientes, de historiae locis controversis cum eo contenderint.

Verùm de malâ fide queritur et dolorem simulat (quod praestans vir ita sese abduci passus sit sententiis falsis praejudicatis) VOLTARIUS. Attamen tres aut quatuor modo locos adfert, ubi reverâ *demonstret* historicam ἀκϱιβεἰαν parùm observatam esse, quorum praecipuus hic est. — Quum alicubi perhibuerit MONTESQUIVIUS, principem judicem esse non oportere, exemplum adtulit LUDOVICI XIII, quem jure dehortatus fuerit quidam a consilio, judicis partes agendi in causâ capitali Ducis DE LA VALETTE. Falsum allegatum exemplum ait VOL-

TARIUS, quia olim aliquoties de ejus ordinis reis ipsi judicassent Franciae Reges. Attamen fatetur, id inde a FRANCISCO II ad causam modo memoratam usque (1638) numquam obtinuisse; itaque jure dici poterat, principem, cui *Justi* cognomen cordi esse ferebatur, inusitatum et absurdum quoddam egisse judicando de propriâ lite; nam de majestatis crimine agebatur (1).

Locum item PLUTARCHI false citatum et VOLTARIUS et alii ädtulêre. Is enim, quum, in dialogo *de Amore*, loquentium unum inducat laudes paedcrastiae efferentem, memorat MONTESQUIVIUS haec ejus verba: »Veri amoris neutiquam participes esse feminas," iisque, saeculi sui mores expressisse PLUTARCHUM, ait. Malae fidei accusatur ideo, quod non addiderit, ipsum PLUTARCHUM meliores in dialogo partes tribuere adversae sententiae patrono, et desinere matrimonii laudibus. Addi hoc certe potuisset; verùm lecto dialogo unusquisque sentit, philosophum Chaeronensem quidem, ut erat vir probus et castus, saniora placita tuitum, at, corruptelam saeculi immensam fuisse, ubi locus esset tam longae disceptationi de amoris duabus formis; tùm quoque ostendunt speciosa argumenta, ex personâ PROTOGENIS pro marium amore allata, reverâ Graecorum institutis huncce convenisse; imò ea opusculi pars, ubi refutatur doctrina ista, tantâ curâ et studio elaborata est, ut pateat, PLUTARCHUM non fictis sed veris aequalium objectionibus ibi respondisse (2).

---

(1) VOLTAIRE, *comm.* etc. ch. XXXI. *E. d. L.* VI. 5. Cf. BAYLE, *dict. hist. et critique*, v. *Fontarabie*, notâ D.

(2) VOLTAIRE, ib. ch. XXXV. Cf. CREVIER, *observ. sur l'E. d. L.*, pag. 28. PLUTARCHUS, *de amore*, c. XI sqq., LXIII, LXIX. Reliqui

Alii Critici antiquorum scripta dolo malo perperam allegata deferunt; sed credibile non videtur, ob res ita animadversione vix dignas fidem historicam sprevisse MONTESQUIVIUM. Ita acerrimus e clericorum cohorte adversarius urget (semel ac iterum), Auctorem N. male citasse DIODORUM SICULUM loquentem de formâ regiminis, quam Athenis stabiliverit ANTIPATER (a. C. N. 322). Pronunciavit, eam fuisse aristocratiam valde moderatam, quoniam reipublicae participes essent, quicumque bis mille drachmis plus haberent. Objecit Criticus, ex eodem DIODORI loco patere, numerum civium locupletiorum novies, reliquorum vicies et bis mille fuisse. Ipsum male ita intellexisse, peculiari scriptiunculâ demonstravit MONTESQUIVIUS (1).

Minus firmo fortasse fundamento Auctor tueri conatus est assertionem suam, quod lege DUILIÂ MAENIÂ un-

---

errores historici a VOLTAIRIO notati, non doli sed culpae levis arguunt Nostrum. Cujus generis id est, quod c. XXXVII tangit, MONTESQUIVIUS nomine FRANCISCI I usum, ubi CAROLUS VIII dici debuisset. *E. d. L.* XXI. 22. Et quod ib. c. XXXVI perhibet ignarum eum fuisse Belgii foederati conditionis, quoniam foedus illud quinquaginta rebuspublicis constare dixerit, *E. d. L.* IX. 1, notâ 1. Id autem et aevo praecedenti et hodie, patriae nostrae proprium accidit, ut peregrinos etiam doctissimos aut lateret ejus conditio, aut ab ipsis (imperfecte cognita) nullius aestimaretur.

(1) *Eclaircissemens sur l'E. d. L.* II. V. *Pièces pour et contre*, v. I, pag. 61. DIODORI SIC. L. XVIII, pag. 601 citaverat *E. d. L.* II. 3. Dixit autem DIODORUS, imperio novem millibus civium commisso, e reliquis 22 millia in Thraciam migrasse. Egregie igitur existimavit Noster, populi in urbe relicti majorem partem imperio gavisam fuisse. Addi possit auctoritas P. WESSELINGII, qui ad l. cit. cap. 18, adfert PLUTARCHUM, DEMOSTHENEM, ipsum adeo DIODORUM, L. XVIII, cap. 66 (pag. 640) coll. ATHENAEO, L. VI, pag. 272, ut probet, scribendum esse; »μυρίων καὶ δισχιλίων," pro »δισμυρίων καὶ δισχιλίων."

ciarum foenus annuum, non menstruum, permissum fuerit Romanis (1).

Majorem autem veritatis speciem habent, quae de MONTESQUIVII erroribus judicat doct. DESTUTT DE TRACY, quod scilicet in locis Veterum citatis plus inveniat, quam ipsis insit. Idque comprobat, allegatis quibusdam ARISTOTELIS aliorumque periodis male ab Auctore N. intellectis. Ipsa verò facta, ratione veritati haud congruâ, descripta, ut confirmetur placitum quoddam prius con-

---

(1) V. *Pièces pour et contre*, v. I, pag. 33 sqq. *Déf. de l'E. d. L.*, p. III. Carpserat Auctor *E. d. L.* XXII. 22, TACITUM, quod *Ann.* VI. 16 legis dispositionem de unciario foenore ad 12 tabulas retulisset. Perhibet, potius de lege DUILIA MAENIÂ cogitandum (a. U. 398). Constare autem videtur ex auctt. citt. apud A. ADAM, *antiquités Rom.* (Paris 1826), v. II, pag. 378, legem D. M. renovasse tantùm 12 tabularum placitum. Retulit illud in III[am] tabulam GOTHOFREDUS. Attamen Criticus non negat, TACITUM male de tabulis scripsisse; aliam verò quaestionem movit, quid *unciario foenore* intelligendum sit. Ille pro menstruo accepit (ut annuum foret 12 p. c.); MONTESQUIVIUS pro annuo (1 p. c.). Quamvis speciosa sint argumenta ab A. N. allata, tamen ut de menstruo cogitemus, suadere videtur locus LIVII, VII. 27; »Semunciarium tantùm pro unciario foenus factum" (A. U. 408) »et in *pensiones*" (nobis *terminos*) »aequas *triennii*, solutio aeris alieni dispensata est." Coll. eodem VII. 42; »Invenio apud quosdam, L. GENUCIUM trpl. tulisse ad populum" (A. U. 413) »ne foenerare liceret, quae si concessa sunt plebi, apparet, haud parvas vires defectionem habuisse." Jam, si unciarium foenus annuum 1 p. c. fuisset, semunciarium igitur ½ p. c., minime in gratiam debitorum egisset GENUCIUS legem ferens de non foenerando, quippe magis illis conduxisset, adeo exiguo foenore pecuniam mutuam sumere, nonnisi triennialibus pensionibus restituendam, quam nummos absque usurâ reddere, quibus Kalendis creditori placeret. Cf. BRISSONIUS, *de verb. sign.* v. *Calendarium.* MERLIN, *rép.* v. *intérêt*, § 1. Tuiti pridem fuerant A. N. sententiam U. HUBERUS, *prael. juris, ad pand.* L. XXII. T. I, n°. 20. J. F. GRONOVIUS, *de usuris ἀντεξηγήσεις* II (Lugd. Bat. 1661 et 1664).

cepto, nusquam in Opere vidit, nisi fortasse hîc illic in libris *de climate*, quos suo loco perlustraturus sum (1).

Item in opusculo peculiari philosophi CONDORCET, tangitur eximia illa ingenii velocitas, quae MONTESQUIVIUM nonnunquam a rectâ viâ seduxerit, ut nimias consequentias e facto dictove peteret (2).

Haecce quum praecipua sint, quae hoc respectu in A. N. vituperanda ostendi possint, non puto, specialiter refutatione indigere effatum, quod profert HALLERUS lc.: »MONTESQUIVIUM *veritatem odisse*." Nec diutius singularia illa me morabuntur. Resumenda potius, quae hocce § de Montesquivianâ methodo et delectu dixi, quod melius fieri posse non arbitror, quam hisce v. cel. HEERENI verbis: »Consilium MONTESQUIVIO erat, ex historiâ noscere veram civitatum naturam, et constitutionem; quae cuique propria essent, definire; et hinc praecepta fundamentalia" (Germanice *Maximen*) »petere de diversis partibus legum ferendarum in diverse constitutis regionibus. Immensus igitur patebat prospectus, nec minus immensa subjectorum copia, quae ipsius disquisitione explorari deberent. Cuncta verò ejusmodi

(1) DESTUTT, *comm.* (v. G.) II, pag. 76 sqq.; I, pag. 249 et 251 ibique MORSTADT, notâ 75, ubi notatur ex ARISTOTELE, *Pol.* II. 7 locus male explicatus *E. d. L.* VIII. 11. item STOBAEI, ad *E. d. L.* VII. 17.

(2) CONDORCET, *observ. sur le* XXIX-*me livre de l'E. d. L.* (Germ. subj. versioni comm. DESTUTT, v. II), pag. 206 sq. Praecipuum exemplum citat *E. d. L.* XXIX. 9, ubi e PLATONE, *de Leg.*, IX ducit Auctor, apud Graecos morem obtinuisse puniendi illos, qui sui caedem perpetrassent, quum tamen PLATO lc. (pag. 873, D), nil aliud dixerit, nisi piacula facienda cognatis hominis ita demortui, et, *se judice*, cadaver ejus, qui manûs sibi intulisset, sepulcro condi oportere a reliquis separato, nullis ornamentis insigni.

erant, quae per se summi momenti in vitâ practicâ forent; nec aliter evenire poterat, quin iis allicerentur lectores, quum primùm ita junctim, quamvis mediocriter, exhiberentur. Quantò magis, quum illis argumentis operam navaret homo ejus ingenii praestantiae! Attamen constat, multò minus argumentis ipsis, quam peculiari ipsius methodo, opus MONTESQUIVII magnam et diuturnam admirationem debuisse illam, quam reverâ expertum est. Ratio illa, ex quâ nihil profertur continuâ oratione, omnia exterioribus modo lineamentis determinantur; nullum cogitationi subjectum exantlatur; et nihilominus paucis verbis multum de singulis dicitur; non tantùm intellectus occupatur definitionibus et ratiociniis philosophicis, verùm etiam depingendo, vis imaginatudi excitatur; universe fulgura illa et fulmina ingenii (quod fortasse dum aliis lucem praebeat, totidem alios coecitate adfligit); omnia haec optime erant comparata, ut talem Auctorem et comprobarent et admirarentur gens, quales tunc erant Franci" (1).

Quominus autem eidem praeclaro scriptori assentiamur, ubi MONTESQUIVIO mentem philosophicam fuisse negat, vetant ea, quae supra observavi. Non naturae vitio, sed consultò sibi elegit methodum illam leviorem; et historià et rerum politicarum cognitione et aliis disciplinis, aptissime usus est; quibus aut tantùm valebat, quantùm aequales, aut aetati suae etiam praecellebat; nec ulla in ipsis notionibus, disciplinae elementorum confusio adparuit.

Aliae quaestiones in eo versantur, num probanda sit ipsa

(1) HEEREN, *über d. Entstehung u. s. w.* in *Hist. Werke*, Th. I, Abth. III, pag. 418 sq.

ratio, quâ conscriptum opus *de Ingenio Legum*? nonne magis profuisset et disciplinae et legum ferendarum arti sequentis aetatis, si majorem locum tribuisset juris univ. philosophiae? tandem nonne eximiae ingenii dotes, quibus eminebat MONTESQUIVIUS, utilius adhiberi potuissent? quibus negando respondere non ausim. Verùm cum instituerim, Auctorem examini adigere, ratione temporis, quo vivebat, habitâ, parùm adtinet meum de ipsis judicium.

Id unum explicandum restat, cur operi suo symbolum praemiserit OVIDII hemistichion; »*Prolem sine matre creatam*." Ni fallor, spectat hoc, cùm ad methodum, quâ usus Auctor, ut eam scilicet a nemine imitátus fuerit; tùm ad propositum illud operis, quod certe peti non potuit ex juris positivi scriptoribus, neque ex politicis, qui antea scripserant, nec e theoreticis sui aevi philosophis, quippe qui a rerum conditione, quae aderat, nimis alieni essent. Ad singulas certe opiniones, ut ex suo ingenio ortas, referri nequit illud symbolum.

CAPUT II.

GRAVISSIMAE MONTESQUIVII SENTENTIAE DE JURE PUBLICO ET LEGIBUS FERENDIS.

Universale, quod dicitur, jus publicum neque exposuit A. N. neque exponere voluit; singulas tantùmmodo quaestiones agitavit ex jure publico constituto apud varias gentes. Hae autem quaestiones quum sint gravissimae, et quum ei operis parti, quâ haec tractavit, plurimum debeatur efficaciae, quam in politicis rebus sortitus est MONTESQUIVIUS, doctrinam, quam de illis protulit, accuratius tradere constitui. *Jus publicum* igitur, quod *Montesquivianum* nuncupo, paucis constat argumentis, peculiari more a caeteris diverso, ab A. N. tractatis.

§ 1. MONTESQUIVII *sententia de principiis singulorum regiminum.*

Mutuas erga se invicem obligationes imperantium et civium, lectoribus suis universe pridem cognitas posuit Auctor; neque enim de illis, neque de juridico civitatium fundamento disserere voluit. Videtur autem eâ

de re PÜFFENDORFII et LOCKII effatis calculum adjecisse, ubi dixerunt, civitatem et imperium *pactis* niti (1). Hinc supra memorata illa monita de populi salute supremâ lege; hinc etiam, quod numquam Imperantis commodum a civitatis commodo separatum esse oportere censeret, uti complures loci probare videntur (2). Expresse autem nihil invenitur de imperio abstracte considerato.

Porro ad imperii formas progressus, in errorem labitur, quem omnes ante KANTIUM (3) politici experti sunt, quod nempe confunderentur *imperii* et *regiminis formae;* et regiminis tantùm respectu sua cuique formae tribueretur administrandi gubernandique ratio. Attamen, licet singulas eas rationes inseparabiles judicaret a singulis formis, aliquomodo tamen praesensisse videtur, non prorsus ejusdem generis res esse, nam de *naturâ* formarum loquens, regiminis, de *principio*, imperii potius genera spectavit. Verùm ipsam distinctionem ignoravit MONTESQUIVIUS; investigandum igitùr, quibus antiquiorum doctrinis nixus, suas sententias de regiminibus in medium adtulerit, et quid novi illis contineatur.

Hoc si fiat, patebit, Auctorem N. antiquissimae ferme adhaesisse divisioni, quae apud HERODOTUM jam obvia est, inter imperium unius, optimatium, omnium (4).

---

(1) PÜFFENDORF, *de off. h. et c.* L. II. C. VI. § 7 sqq. LOCKE, *du gouvernement civil*, ch. X. § 6.

(2) Cf. *E. d. L.* VI. 5; XX. 19; XXVI. 23.

(3) Hoc discrimen exposuit KANTIUS, *Elem. metaph. juris.*, P. II. S. I. § 52.

(4) HERODOTUS, *hist.* L. III. c. 80 sqq.

Horum quas ARISTOTELES dedit definitiones, apud priscos et recentiores politicos plerosque sunt receptae; his item placuit ejus sententia, singula genera regiminum in totidem vitiosas formas degenerare, quando imperantes, suo unice commodo intenti, salutem publicam impune spernunt; tunc enim converti monarchiam in tyrannidem, aristocratiam in oligarchiam, democratiam in anarchiam. Reliquae duae species, quas tribus illis prioribus accenset ARISTOTELES, scil. regimen reipublicae Platonicae et forma mixta e variis regiminibus, a nemine recentiorum ita acceptae sunt, quoniam illud numquam locum habuit, hujus innumerae species esse possunt (1). Quaeri possit, cur MONTESQUIVIUS a solitâ viâ paululùm recesserit, despotismum, monarchiam, rempublicam liberam distinguendo; hanc denuo subdivisione quâdam secernendo in democratiam et aristocratiam (2).

Quod ad despoticum regnum, jam animadvertit LOCKIUS, non e solâ monarchiâ in tyrannicam formam degenerare regimen, verùm isti corruptelae omnes aeque obnoxias esse formas (3). Hinc fortasse evenit, ut Auctor N. tyrannidis et monarchiae omnem nexum et similitudinem rejiciat. Porro vitio vertit omnibus, qui praecesserant, politicis, quod et autocratica et temperatior unius gubernatio pariter *monarchia* apud ipsos audiant, discrimen inter regium imperium et tyrannidem solùmmodo e principis virtutibus vitiisve petatur, qui

(1) ARISTOTELES, *Pol.* III. 5.

(2) *E. d. L.* II. 1. Cf. qui hoc vituperat, J. H. G. VON JUSTI, *Geist der Gesetze* (Lipsiae 1760), c. V. § 64—68.

(3) LOCKE, *du gouv. civil,* c. XVII.

locus communis, a BODINO maxime, fuse elaboratus, egregiis declamandi exercitiis, nequàquam verò doctrinae politicae melius excolendae, ansam praebuit (1). Perspexit verò MONTESQUIVIUS, parùm ad regiminis speciem conferre indolem ejus, cui imperium mandatum est, et magna autocratiae esse incommoda, etiamsi subditis bene cupiat imperans. Dein eò magis existimavit, monarchiam a despotismo esse distinguendam, quò magis ipse ab hoc abhorreret, illam diligeret, et timeret, nequando in cultiori Europâ reciperetur imperium principum absolutum, sublatis illis temperamentis, quae censebat ad monarchiae naturam pertinere. Hinc docuit, absque ordinum discrimine, collegiis magistratuum, consuetudinibus locorum etc. ne umbram quidem monarchiae adesse, sed monstrum quoddam imperii, in quo nil nisi atrum et miserrimum cernit; nec desinit urgere, absque omnium morum et institutorum conversione, apud cultas et Christianas gentes illud usu venire non posse (2).

---

(1) V. e. g. definitiones a jùre publico plane alienas apud BODINUM, *de Rep.,* L. III. c. 3: »*Rex* est, qui in summâ potestate constitutus, naturae legibus non minus obsequentem se praebet, quam sibi subditos, quorum libertatem ac rerum dominia aeque ac sua tuetur, fore confidit;" ib. c. 4: »*Tyrannis* est, in quâ unus homo divinis et naturae legibus sublatis, rebus alienis, ut suis, et liberis hominibus, quasi mancipiis ad libidinem abutitur," et quae utroque loco sequuntur. Cf. *des Corps Politiques,* v. I, pag. 279. Melius de tyrannide agitur *E. d. L.* XIX. 3. Antiquato more, regem et tyrannum comparat VON JUSTI, l. c. § 73.

(2) *E. d. L.* II. 5; III. 9; V. 11 pr.; XVI. 10; XXIV. 3; XXVI. 16 m. Egregie timorem suum ostendit, VIII. 8: »La plùpart des peuples d'Europe sont encore gouvernés par les moeurs. Mais, *si par un long abus de pouvoir,* si par une grande conquête, *le despotisme*

Solum igitur, ipso judice, despoticum regimen *per se* malum est, reliqua bona aut mala sunt, prout saluti publicae et libertati prospicitur in singulis, an minus. Quod ad aristocratiae et democratiae distinctionem, haud mirum est, eam parvi habitam fuisse ab Auctore, imò saepius neglectam, quum antiquorum maxime respublicas liberas respexerit, ubi de singulis pronunciare difficile est, ad utram formam referri eas oporteat, uti supra vidimus.

Acutius denuo optimatium regimen a populari distinxit, ubi de Italicis civitatibus recentioribus sermo est, quae tunc pleraeque in nobilitatis commodum constitutae erant (1). Tantùm de regiminum *naturâ*.

Quum autem semper fere, quamvis de formis illis universe loqui videretur MONTESQUIVIUS, respiceret certas quasdam regiones et certa tempora, ex hisce etiam doctrinam suam de gubernandi ratione singulis formis propriâ duxit. Quâpropter historici imprimis momenti sunt, quae protulit de consiliis ad stabiliendum et in pu-

---

s'établissait à un certain point; il n'y aurait pas de moeurs, ni de climat, qui tinssent; et dans cette belle partie du monde, la nature humaine souffrirait, du moins pour un temps, les insultes qu'on lui fait dans les trois autres."

(1) Uti *E. d. L.* XI. 6 (pag. 281 sq. ed. 1805). Severe carpit MONTESQUIVII distinctionem DESTUTT DE TRACY, *Comm.* (v. G.) v. I, pag. 20, m. sqq., at dijudicat eam ex praejudicatâ opinione. Quum nimirùm censeat, salutem publicam imperantis proposito convenire non posse, nisi ex populi voluntate omne imperium emanet; duo distinguenda statuit regimina; alterum, ubi populi consensu summum imperium mandetur principi; alterum, ubi alia agendi ratio appareat quaecumque, quo casu semper commodum aut unius aut ordinis privilegiis ornati, neglectâ publicâ salute, procurari dicit. Minus proprie, ut videtur, has duas formas *repraesentativam* et *aristocraticam* vocat.

blica commoda adhibendum quodlibet regimen, quod rite fieri posse negat, nisi serventur singulorum *principia*. Hoc nomine Auctor intelligit hominum adfectûs, quos excitando optime proposita sua ad finem perducat legislator, et quò referendi sint omnes imperantium actûs, quamdiu regimen illud incolume servetur (1). Inde apparet, principium formae multùm differre ab ejusdem naturâ vel essentiâ, quippe quae sponte adesse dicatur, simulac hoc vel illud regimen in civitate constitutum fuerit. Complures id eximie laudi tribuunt MONTESQUIVIO, quod hanc doctrinam de *principiis* cùm invenerit, tùm excoluerit (2). Nec puto, eam reperiri apud priorem politicum quendam.

Notum autem est, ipsum (L. III) reipublicae liberae universe *virtutem* tribuere (quae in aristocratiâ alio nomine *moderatio* dicatur), monarchiae *honorem*, despotico regno *metum*. Omnes hae sententiae, uti v. cl. HEEREN l. c. ait: »excreverant ex historiae studio."

Virtus enim civilis est illa antiquorum propria, quâ instigabantur cives, ut patriam omnibus anteponerent, nec unquam suum commodum respicerent a patriae bono distinctum, ita ut vitâ magis publicâ, quam privatâ viverent. MONTESQUIVIUS, quum explicuerat, quam salutaris et praestans sit haec indoles, ostendit, quâ ratione eum in finem tetenderint Graecorum et Romano-

(1) *E. d. L.* III. 1 sqq.

(2) MAUPERTUIS, *Eloge*, pag. 19. Item PESTEL, *fund. jurispr. nat.* § 333—335, qui tamen melius judicat fore, si statuantur duo omnium regiminum principia; puta, ratione civium, sensus commodi, quod capiant ex eo ipso, quod sint cives; imperantium ratione, studium bona exempla subditis offerendi. Aliter paululùm immutatam doctrinam habet VON JUSTI, c. VI. § 100 sqq. GENOVESI, n. 2 ad III. 4; n. 1 ad IV. 2.

rum leges. Namque in horum civitatibus recens conditis legumlatores et populi nondum immemores fieri potuerant ejus, quod civium causâ instituta sit omnis civilis societas, unde necessariò sequi debuit apud privatos notio, se sibimet ipsos prospicere, dum rempublicam ejusque formam incolumem servarent (1).

Nec male locis citt. perspexit Auctor, quantum ad Veterum civilem virtutem contulerit magnum discrimen inter civium et servorum conditionem, quo illa majoris fieret pretii; porro quod omnia ferme privata negotia servis relinquere solerent, publica ipsi gererent; unde evenit, ut magis magisque sentirent, sui causâ civitatem adesse, nec ullum privatis rebus detrimentum tantum accidere posse, quantum paterentur ex gravi damno vel ruinâ civitatis.

Jam, siquis animadvertat (e MONTESQUIVII sententiâ loquor) quantopere ab antiquis diversa sit recentiorum populorum conditio, patebit, nullo modo talem patriae amorem ab hodiernis (saec. 18°) Europaeis exspectari posse. *Incolae* enim sunt, non cives. Germanicarum nempe gentium invasio et Imperii R. occupatio, Europae politicum statum adeo funditus convertit, ut pro civibus antiquarum civitatum haberi inceperint nobiles, clerici, magistratûs, burgenses, rustici, quibus junctim praeesse soleret Rex. Hinc, quum securitatem et multa commoda adferat monarchicum regimen, imò praestantissimum omnium illud judicet Auctor, eò tendere debent instituta, ut loco *virtutis politicae* aliud remedium inveniatur, quo omnes subditi diligere illud discant et suum esse existiment, ejus dignitatem incolumem tueri.

---

(1) *E. d. L.* III. 3; IV. 8; V. 2 sq. 7, 19; VIII. 4.

Ea mirabilis efficaciae medela, quam praedicat, *honoris* sensus est, cujus novimus quam descriptionem dederit MONTESQUIVIUS. Sic scilicet sperat fore, ut unusquisque negotiis suis quam diligentissime operam navet, spe excitatus, ut in ordine, ad quem pertinet, magni aestimetur et aliquando ad altiorem evehatur. Quoniam autem Regis manu distribui oportet quaevis munera honorifica, dona, decora, laudes; ideo apud eos, qui aulae proximi sunt, honoris cupido satiatur principis favore et beneficiis; tum et ne, per aulicorum corruptelam, evanescant commoda monarchiae, cavendum est (1). Quod inprimis fiet, dum idem honoris sensus excitetur, et in serias magis et summi momenti curas convertatur penes magistratûs, judices etc., qui sua populique jura tuentur et curant, ut leges stabiles sint, qualia collegia *deposita legum* vocantur ab A. N. Non opus est iterum hîc dicam, hoc de parlamentis Francicis intelligi oportere, neque, quae supra (c. I. § 2) contuli de opinionibus MONTESQUIVIO ex muneris gestione propriis, repetenda sunt.

In despoticam formam prolapsuram existimat monarchiam, siquando principium regiminis negligitur, ac tolluntur fulcra illa constitutionis. Hujusmodi quid populo Europeo cuicumque, imprimis Francico, exitiale foret. Quocirca constitutionem Anglicam admiratur, quâ optime cautum videtur, ne unquam princeps eò pervenire possit.

---

(1) *E. d. L.* III. 5, 7; IV. 2; V. 9, 19; VI. 5; VII. 4; VIII. 6 sqq. et passim. Quantùm differant *cives* antiquarum rerumpublicarum et *incolae* recentiorum, fusius explicat ROUSSEAU, *Contrat social,* L. I. c. 6; *Consid. sur le gouv. de la Pologne,* c. 4; *Emile,* L. I, med.

Eandem ob causam delectatur, omnium, quae in monarchiâ laudaverat, contraria tribuendo despotae regimini. Principium ejus et efficaciam *metu* constare oportet, terrore et ignaviâ, quod confirmat Auctor exemplis ignaviae pravaeque rerum gestionis apud complures Orientis populos. Vix tamen credo, MONTESQUIVIUM cuipiam persuasisse, quod in omnibus despoticis imperiis subditi solo metu ad obsequium Principi praestandum impellantur, quum procul dubio eò conferant ignorantia melioris conditionis, incuria, religio etiam.

Huic unice parti doctrinae de *principiis* applicandum videtur, quod de opere suo universe dixit in praef. MONTESQUIVIUS: »Placita certa constitui, et peculiares »casûs sponte ad ipsorum normam conformari vidi;" quibus verbis de semet ipse injuriose locutus videtur; quippe ita agere, pseudophilosophi est, qui de rebus nondum sibi perspectis notiones indoctus efformet, ac deinde nihil tanquam verum admittat, nisi quod his conveniat. De despotismo verò quum ageret, nullos putavit atros satis esse colores, quibus imaginem perversae adeo conditionis depingeret (1).

Aristocratiae denique in specie principium commendat *moderationem*: quo ipso indicat, quam diversa nec sibi invicem congrua esse soleant commoda duorum ordinum, qui unâ adsunt in republicâ aristocraticâ. Licet enim ex ejus regiminis definitione patere videatur, MONTESQUIVIUM eo nomine intellexisse etiam illas civitates, ubi senatui vel alii cuidam collegio ex populi voluntate res summi momenti gerendae aut decernendae commit-

(1) *E. d. L.* III. 6 sqq.; IV. 3; V. 13 sqq., VI. 13; VIII. 10, 19. Cf. DESTUTT DE TRACY, *Comm.* v. I, pag. 27 sqq. ibique MORSTADT ad p. 30.

tuntur; tamen quoties de aristocratiâ separatim loquitur (id est, quoties non voce *république* usus est), nobilium vel patriciorum ordinem, coetûs, privilegia cogitat, et plebejos his subditos secundum leges duriores vel mitiores, quas a nobilibus acceperint (1). Sic saepius, de democratiâ loquens, Spartam citare solet, ita ut videatur hujus constitutionem ad popularia regimina referendam existimasse (2); ita Romanorum rempublicam aristocraticam nuncupat, et ad eam provocat, ceu ad aristocratici regiminis exemplar, quamdiu jurium civilium discrimen esset inter patricios et plebejos; deinde senatûs potentiam »aristocratiae rudera" vocat, et democratiae aut universali *reipublicae* appellatione utitur (3).

Jam eodem modo reliqui considerari possint Auctoris N. loci, quibus doctrinam suam de principiis, ad institutionem juventutis, varias rerum gestionis partes, copias, bella, libertatem, religionem etc. applicat; verùm saepius eaedem observationes repetendae forent, de

---

(1) Aristocratiae definitio *E. d. L.* II. 1, ita se habet: »le gouvernement républicain, où seulement une partie du peuple a la souveraine puissance," quâcum cf. II. 3.

(2) *E. d. L.* V. 7, 8; XI. 19. De Spartae constitutione, quam democraticam habuit, dico tantùm quod ad Lacedaemonios, nam quam intolerabili et plus quam aristocraticâ dominatione opprimerentur reliqui Laconiae incolae, Messenii, Hilotes, non fugit MONTESQUIVIUM, *E. d. L.* XV. 10, 17.

(3) *E. d. L.* II. 3 med. comparat dictaturam Romae et inquisitionem politicam Venetorum: »D'où vient," inquit, »que ces magistratures se trouvent si différentes dans ces deux républiques? C'est que Rome défendait *les restes de son aristocratie* contre le peuple; au lieu que Venise se sert de ses inquisiteurs d'état, pour *maintenir son aristocratie*, contre les nobles." Cf. II. 2 m.; V. 3, 7; VIII. 12; XI. 13 sqq.

mente, quâ MONTESQUIVIUS haec omnia scripto consignavit.

Sin placita singularia et historicas controversias enucleare tentarem, commentatoris fungerer partibus.

Summa igitur dictorum de *principiis* huc redit, quod *ea doctrina*, *qualis apud* MONTESQUIVIUM *traditur*, *illis tantum juris publici universalis placitis conveniat*, *quae imperfecta esse, nostrâ aetate manifestò apparuit* (1); *attamen ita nitatur historicâ eruditione Auctoris*, *ut ejus ope, permulta instituta politica et civilia gentium*, *de quibus specialiter cogitavit*, *aut ab ipso explicata sint*, *aut explicari possint*.

§ 2. *De triade politicâ seu summi imperii partitione.*

Disciplinae politicae locus, de quo MONTESQUIVIUS plurimùm citari et laudari soleat, est de potestatum, quibus constat summum imperium, distinctione et distributione, quae vulgo *trias politica* dicitur. Hîc verò nihil aut pauca admodum excogitavit Auctor N.; potius aliorum placita elaboravit, et de practicâ distributionis illius vi disseruit. Videamus primùm, quibus in rebus a priorum sententiâ recesserit.

A.

Tradunt plurimi, jam apud ARISTOTELEM obviam esse triados illius notionem, quippe qui tria distinguat *πασῶν πολιτειῶν μόρια*, scilicet: consultationem de republicâ,

(1) Cf. VON RAUMER, *Gesch. Entw.*, pag. 78.

magistratuum electionem, judicia (1). Sed hisce verbis non significare voluit diversas summi imperii partes, neque locutus est de modo eas gerendi; verùm distinctionem unice duxit ex suis placitis de eâ quaestione, *quibusnam* administrationis singulae partes agendae essent in civitate. Praeterea ad primam partem, quae *legiferae* recentiorum simillima videretur, diversa maxime refert negotia, qualia sunt leges condere, de pace, bello, foedere statuere, judicia etiam nonnulla (perduellionis) et similia.

Neque etiam doctrina de summi imperii partibus peti potest e DIONYSII HALICARNASSEI (quos tamen GROTIUS hâc de re citat) locis, quippe ubi agat de ratione, quà primùm ROMULUS, dein SER. TULLIUS rempublicam inter Reges, comitia, senatum distribuerint (2).

Sin adeas illos, qui vere philosophicâ ratione dividere summum imperium aggressi sunt, distinctionem peti oportet aut e diversâ argumentorum naturâ, quibus singulae partes applicentur, aut e diversis modis singulas exercendi; missâ omni controversiâ de personis imperium gesturis.

Eò primus omnium spectavit BODINUS, cujus tamen distinctio admitti nequit, quoniam plures simul discriminis causas junctim in computationem ipsi veniunt. Namque prima pars, seu primum *caput majestatis* (uti vocat) est potestas legifera; ab hâc, non exsequendi modo, sed rebus ipsis diversum est alterum caput circa bellum, pacem, foedera, legatos; tertium, quae magistratibus

(1) ARIST. *Pol.* IV. 11.

(2) DION. HAL., *Ant. Rom.*, II. 14; IV. 20. Cf. GROTIUS, *de J. b. ac p.* L. I. C. III. § 8, n°. 1.

mandanda sunt, continens, rursus exsequendi modo tantùm a priori differt; quarto denique et quinto nonnisi peculiares quosdam casûs significat, ubi principi ex vi judiciariae potestatis lites dirimendas esse censeat, sive ubi liceat a summae *instantiae* foro ad principem provocare (1).

Confusionem, quae in hisce deprehenditur, vitavit GROTIUS, quum distingueret summum imperium primùm in duas partes, rerum *universalium* (legum) et *particularium* (gestionis). Has denuo differre ait, prouti *publicae* sint vel *privatae*, id est, quae pro totius civitatis salute fiunt, et quae circa jura singulorum versantur (2).

Hanc distinguendi rationem, quum imprudenter sprevisset PÜFFENDORFIUS et parum congrue imperium descripsisset septem partibus constans; LOCKIUS verò errasset, dum inepta dàret nomina rebus a GROTIO designatis, necnon jus super reliquas eminens agnoverit potestati legiferae, ut in hâc demum constaret imperium (3);

(1) BODINUS, *de Rep.* L. I. C. X, praesertim pag. 240 sqq. (ed. 6ae, Francofurti a. M. 1622). Quamvis confusa haecce sint, eo tamen antiquioribus praecellnit BODINUS, quod jura majestatis et summi imperantis potentiam acute distinxerit ab iis, quae munerum propria sunt, et magistratibus conveniunt. Notum est, eum non doctrinae causâ fuse hâc de re disseruisse, sed ut causam HENRICI III adversus parlamenta tueretur.

(2) GROTIUS, l. c. no. 3.

(3) PÜFFENDORF, *de off. h. et c.* L. II. c. 7. Potestates ipsi sunt: 1o. legifera; 2o. puniendi; 3o. dirimendi lites; 4o. res exteras gerendi; 5o. ministros eligendi; 6o. fiscum administrandi; 7o. educationi prospiciendi. Cf. Id. *de jure nat. et g.* L. VII. c. 5. — LOCKE, *du gouv. civil*, c. XI, tres potestates recenset, legiferam, exsecutricem, confoederativam; at qui legiferam tenet, summus est imperans, reliqui nonnisi magistratûs sunt.

MONTESQUIVIUS, insistens denuo GROTII vestigiis, ejus sententiam magis idoneis vocibus expressit, duas imperii partes agnoscens, legiferam et exsecutricem (distinctas ratione exercendae potentiae), hâc autem subdivisâ in potestates duas, quorum altera circa jura et commoda civitatis versatur, altera circa jura singulorum (1).

B.

Non igitur *trias*, sed potius *dyas* politica est, quam tuetur Auctor. Verùm, quum deinde priorem illam subdivisionem *κατ'ἐξοχὴν potestatem exsecutricem* vocet, alteram *judiciariam*, quia judicia praecipue ad eam pertinent, nonnullis id obscuritatem genuit, ut videretur MONTESQUIVIUS tres admittere potestates: legiferam, exsecutricem, judiciariam. Imò ita emendare voluit l. c. doctus commentator; quod alii denuo vitio vertêrunt (2).

Id tamen reverâ, nec in verbis tantùm, discrimen intercedit inter GROTIUM et A. N., nempe quod hic existimârit efficaciâ politicâ carere potestatem judiciariam, quae scilicet ad sola magistratuum officia pertineat,

---

(1) *E. d. L.* XI. 6 princ.

(2) *Anonymus* ad l. c. n. *d, e:* »On distingue dans la souveraineté trois espèces de pouvoir....., on les nomme la puissance législative, la puissance judiciaire, et la puissance exécutive. Par la prémière, le prince ou le magistrat fait des lois; par la seconde, il juge les actions des citoyens suivant ces lois; par la troisième, il exécute son jugement." At ita potestas exsecutrix potius additamentum fit magistratuum muneri (non summi imperii pars), et continetur potestate judiciariâ; sin, uti alii, exsecutrici potestate omnia comprehendi dicas, quae exsecutioni mandantur jussu imperantis, judiciaria pars erit exsecutricis. Semper distinctio ea tripertita aeque valet, ac vitiosum illud in logicâ enunciatum: »Homines sunt mares, feminae vel puellae." — VON JUSTI, c. IV. § 51, duas tantùm partes admittit, sed ita ut legifera contineat judiciariam.

quum »judicem naturâ suâ esse oporteat organon vivum, »cujus ope lex singulis casibus applicetur" (1). Quod probe perspexisse ait Anglos, quorum constitutione judiciaria potestas evadat *invisible et nulle*. Primo adspectu effatum hocce pugnare videtur cum MONTESQUIVII sententiâ de legum interpretatione aliquando (in monarchiis) judici relinquendâ. Verùm enimverò distingui oportet; in abstracto, judicis munere non putavit quicquam arbitrarii contineri posse, ipsam adeo leges interpretandi facultatem inesse potestati legiferae. At simul, quorundam regiminum (Francici praesertim) *principio* adeo convenire putavit, magnam potestatem judicibus tribui, ut absque periculo iis adimi nequiret (2). Quo denuo confirmantur, quae dixi de MONTESQUIVII reverentiâ erga omnia publice constituta.

Fusius autem, quam juris illam quaestionem de naturâ partium imperii, politicae artis controversiam agitavit A. N., quomodo conducat, ut distribuantur. Suam semper methodum secutus, non adeo id egit, ut universales regulas praescriberet, quam quidem utilitatem rectae distributionis ostendit exemplis, maxime ex Anglorum et Romanorum republicâ petitis (3).

---

(1) *E. d. L.* l. c.: »Les jugemens doivent être fixes à un tel point, qu'ils ne soient jamais, que le texte précis de la loi;" et porro: »les juges de la nation ne sont que la bouche qui prononce la loi, des êtres inanimés, qui n'en peuvent modérer ni la force ni la rigueur." Ib. XI. 11: »La vraie fonction du prince est d'établir des juges, et non pas de juger lui-même."

(2) *E. d. L.* VI. 3.

(3) *E. d. L.* XI. 6—20. Satis severe de hâc operis parte judicat DESTUTT DE TRACY, *Comm.* I, pag. 255 sqq. Ipse verò pag. 280 sqq. legis publicae specimen exhibet, quod si in usum conferretur, ipso judice, omnem potestatum collisionem tolleret. Est illud simillimum

Id verò ne nos fugiat, eò MONTESQUIVIUM in praeceptis et disquisitionibus hisce peccasse, quod, quoties de potestate legiferâ vel executrice diceret, non ita abstractam ejus summi imperii partis notionem haberet, sed utique fere certam quandam personam cogitaret seu physicam seu moralem, cui haec vel illa mandaretur. Hinc evenit, ut nimium fortasse tribuerit integrae separationi potestatum, parùm animadvertens, sejunctis summi imperii partibus, multâ cautelâ et prudentiâ politicâ opus esse, ne, qui unam tenet, ita reliquis superemineat, ut integrae civitatis compos fiat (1).

Namque egregie quidem ostendit pericula ejus constitutionis, quâ omnes imperii partes statim in unam personam conferantur, quae si princeps est, despotismus exstiturus est; sin collegium nobilium, intolerabile quoddam aristocratiae genus orietur.

At verò a pluribus, et nihilominus junctim, exerceri poterunt singulae potestates; et utriusque imperii partis quaedam in principem vel senatum collegiumve conferri possunt. Id non satis lucide MONTESQUIVIUS exposuisse videtur.

Eodem hoc libro minus feliciter attigisse eum opinor Romanorum jus et historiam, quum non observaverit, saepius Romae illos, quibus rerum gestio interna, judiciorum aut rerum externarum cura vi muneris com-

---

constitutioni Francicae anni III, quoniam reip. directores habet, collegium legiferum, et (ex const. anni VIII) senatum conservativum.

(1) *E. d. L.* l. c. passim. Incommoda ejus distributionis, quâ uni homini aut collegio integra potestas, e. g. legifera, concederetur, praeclare ostendit MIRABEAU oratione habitâ, quum in *coetu constituente* ageretur de jure *vetandi* Regi concedendo, 3 Sept. 1789.

peteret, magnas in legibus condendis partes agere solitos. Argumento sint praetores (et aediles), quorum edicta *legis annuae* nomine digna habebantur; porro senatûsconsulta, quae hodie ferme constat, jam ante Imperatorum aetatem vim legis obtinuisse; et nomen *legis* compluribus decretis additum, quae, si probe potestas legifera a reliquis imperii partibus distincta fuisset, ad illam haud pertinuissent. Ejus generis sunt lex *Gabinia* de regimine omnis tractûs maritimi POMPEJO committendo (A. U. 683), item lex *Manilia*, ut idem bello Mithridatico praeficeretur (A. U. 687) (1).

Errat igitur MONTESQUIVIUS, ubi affirmat, populum Romanum, postquam communicata essent cum plebejis munera, magis sollicitum fuisse de legiferâ potestate integrâ in comitiis servandâ, quam de exsecutrice; hanc enim Senatui et magistratibus relictam.

Utut est, de potestatum illarum aequilibrio numquam cogitârunt Veteres; si verò inquiratur, quomodo apud ipsos distributum fuerit summum imperium liberâ rep. hoc dicendum videtur: apud populum Romanum, in comitiis, fuisse imperium indivisum; ea verò, quae aut legum ferendarum aut exsequendarum capita quaedam singulatim spectarent, commissa variis magistratibus, cuique pro muneris sui institutione; Senatui eum obtigisse locum, ut nec populus universus statuens de eo, quod faciendum esset, neque magistratûs, singularibus curis operam navantes, ejus auctoritate carere possent (2).

---

(1) CICERO, *in* VERREM, L. I, c. 42. — *Pro lege Man.* c. 21. GELL. N. A. X. 20. De SCtorum auctoritate cf. v. cl. HOLTIUS, *Hist. juris Romani lineamenta* (Leodii 1830) Act. II. c. I, n°. 260, quosque ibi citat.

(2) Cf. POLYBIUS, L. VI, c. 7—11.

Licet igitur in hâc parte juris publici Montesquiviani mendae nonnullae apparuerint, eo tamen respectu historiam antiquam egregie adhibuit, ut dominationis illius Romanorum indolem perspiceret; ostendens quomodo inter se libertati politicae diu praeclare consuluerint, in provinciarum regimine eandem spreverint. Nec minimam hujus oppressionis multarum adeo gentium causam fuisse ostendit, omnem potentiam, leges condendi, res exteras et internas gubernandi, juris dicundi, omnes administrationis particulas unico provinciae praesidi obtigisse (1).

§ 3. *De libertate politicâ placita.*

A.

Gravissimis inter juris publici scriptores controversiis locum dedit quaestio, quantum *libertatis* singulis societate civili conjunctis tribui possit absque societatis detrimento, quantum ejus in commune conferendum sit; tum, ubi hâc de re suam quisque sententiam protulit, pergere solent indagando, quibusnam institutis haec libertas, quam expetendam ducunt, civibus comparetur. Priorem quaestionem praeter consilii sui fines esse judicavit MONTESQUIVIUS, nam libertatem politicam, quam vocat, utique salutarem et expeten-

---

(1) *E. d. L.* XI. 16—19. Dum hoc specimen typis mandaretur, ad me pervenit v. cons. D. G. JORDENS, *diss. de triade politicâ* (Daventriae, 1838), qui de A. N. severe judicans, quaecumque et hic et alii, praesertim cel. MEIJER, de imperii partibus asserunt, *somniorum* instar habet. v. pag. 15, 29, 45. Verùm nec ipse acute distinxisse videtur inter summi imperii divisionem et ejus in varias personas distributionem, e. g. pag. 40 sqq.

dam arbitratur; agendum sibi tantùmmodo statuit de ratione, quâ promoveatur (1).

Libertatem inquam *politicam;* solet autem hodie ita nuncupari liber usus jurium, quae civibus singulis conceduntur in patriae suae regimen, in electionem imperantium vel magistratuum quorundam vel delegatorum, prouti singulae leges publicae sancivêre (Francice ea jura audiunt *droits civiques*); quo sensu opponitur *libertati civili*, sive securitati personarum et bonorum, et facultati res suas agendi, absque potentiorum interventu (Francice *droits civils*).

Illa autem nominum distinctio prorsus incognita erat MONTESQUIVIO, quippe qui *libertatem politicam* potius opposuerit *morali*, quae nihil est, nisi volendi libertas, et *naturali*, seu licentiae faciendi, quae quis velit. Verùm distinguit libertatem politicam *ratione constitutionis*, et *ratione singulorum* (l. XI et XII). Priori comprehenditur illa, quam nos eximie politicam vocare solemus, facultas aliquomodo participandi imperii gestionem, quam ita communicandam dicit, ut via evadat, quâ pariatur civibus libertas singulorum.

Hinc eorum aggressus est errorem, qui putarent, libertatis plurimum semper in regimine populari adesse, exemplis ex Atheniensium et Romanorum republicâ allatis (2). Hinc etiam plurima praecepta, quae de libertate conservandâ tradidit, ad monarchicam formam pertinent.

Libertas autem ea, quâ, MONTESQUIVIO judice, quantùm fieri possit, omnes frui oporteet, eadem ipsi est

(1) Arg. *E. d. L.* XI. 1—4; XII. 1.

(2) *E. d. L.* XI. 4, 5; XII. 19, 21.

atque: securitas, sive sensus securitatis, neminem scilicet malo affici posse, nisi ob actionem illicitam (1). Eum in finem ita comparata esse debet constitutio, ut potentiae abusibus, qui dicuntur, opportunitas tollatur, nec minus caveri oportet, praesertim in legibus civilibus et criminalibus condendis, ne locus detur injustae libertatis coarctationi. Longissime autem a libertate politicâ absunt leges publicae, quae eò tendant, ut nemo aliis pareat, licentia omnibus impertiatur, e. g. Poloniae constitutio, qualis olim fuit. Unam porro ait sibi notam esse constitutionem, quae reverâ libertati promovendae idonea sit, Anglorum scilicet, quippe qui a potentiae abusu sibi caverint apto distribuendis imperii partibus, securitati vitae et dominii bene consuluerint institutis juratorum judiciis. Magni enim momenti esse docuit leges de processu in causis criminalibus; has enim munire et tueri cives, ne quo praeter legem poenalem malo afficiantur.

Tum porro, summa libertas sive securitas, quâ in civitate frui possit homo, existet, si leges civiles et poenales maxime ea tantùm vetent, quae permitti absque civitatis aut privatorum detrimento nequeant. Inde ducendum paradoxon illud MONTESQUIVII, majori liber-

(1) Ita probe conciliantur definitiones, *E. d. L.* XI. 3: »La liberté est le droit de faire tout ce que les lois permettent;" et XII. 2: »La liberté politique consiste dans la sûreté ou du moins dans l'opinion, que l'on a de sa sûreté." Cf. *Anonymus* ad h. l. n. *b*. Procul igitur abfuit Auctor ab iis, qui cum HOBBESIO, *de Cive*, C. VI. § 14, libertatem ibi finiri pronunciant, ubi imperium constituitur. Contrà magistrum hic quoque secutus est LOCKIUM, qui docuit (*du gouv. civil*, c. VIII. § 1 sqq.) libertatem, homini propriam, reverâ acquiri demum in societate civili.

tate frui maleficum capite damnatum, quia legem civitati necessariam violavit, quam potentissimum virum in despotico regno, ubi vita et bona precariò tenentur, et a principis arbitrio pendent (1).

A quibusdam vituperatur Auctor N., quod ita non satis late sumserit *libertatis* appellationem, quâ sane hodie plura comprehendi solent; porro, quod refutandis absurdis sententiis de puniendis criminibus magiae, haereseos etc. multa capitula impenderit (2).

Verùm noluit MONTESQUIVIUS plura praecepta politica tradere, quam quae ipso eo tempore, quo opus conscribebatur, effectum sortiri possent. Nec putabat, multa reformanda esse, sed cavendum tantùm ab ejus, quod institutum esset, abusu. Obsoleti igitur jam topici ne immemores simus; »E sui temporis ratione dijudicandum esse scriptorem;" neque aegre feramus angustiores ipsius notiones de libertate civili.

Fatendum tamen est, hinc evenisse, ut gravissimae quaestiones de publicâ salute et hominum juribus, e. g. quod ad liberum cultûs exercitium et negotiorum suorum gestionem, non satis elaboratae fuerint.

Nihilominus VOLTARIUS, quamvis ceteroqui MONTESQUIVIUM saepius negligentiae et inutilis doctrinae arguerit, dicere potuit: »Genus humanum jura sua amiserat, reperit illa MONTESQUIVIUS;" et alibi, librum *de Ingenio Legum*, »codicem rectae rationis et libertatis" nuncupavit (3). Hoc judicium inde explican-

---

(1) *E. d. L.* XII. 2, coll. XI. 6 passim.

(2) Praecipue DESTUTT DE TRACY, *Comm.* v. I, pag. 221, 255, 318.

(3) VOLTAIRE, *Comm.* cit., *avantpropos.* — Id. *Dict. Phil.* v. *Lois* (*Esprit des*).

dum videtur, quod Auctor Noster complura reprehenderit in rerum conditione saeculi praec., quae a sapientissimo quoque reprobanda essent, nemini ferenda. Praedicans autem libertatem seu securitatem, quae hisce sublatis exsisteret, aequitatis studio hominum animos incendere enixus est, et bene meruit de saeculo suo.

Quod ut constet vere dictum esse, sufficiet in memoriam revocari ejus placita de legibus poenalibus non necessariis, itaque libertati noxiis. Eò referuntur delicta carnis, quae severis suppliciis in Franciâ vindicabantur, dum simul gentis indoles et aulici mores a lubidine minime abhorrerent; unde factum est, ut arbitrarii judicii speciem semper haberent illa supplicia, quum aliis capitale esset crimen, quod aliis vix vitio verteretur. Porro magiae accusationes, quae per totam Europam, exceptâ patriâ nostrâ, adhuc ad tribunalia deferri poterant (in Franciâ hae tamen ex usu recesserant); majestatis denique crimen, quod verbis, factis, scriptis committi censebatur, quodque innumeris suppliciis, saeculo maxime 17°, in Franciâ locum dederat. Deinde multò rarior evasit ejus delatio, sed atrocissimae poenae et severa praejudicia de hoc crimine ejusque societate adhuc in foris vigebant. Eandem ob causam monuit, ne criminum contra Deum parùm definita esset natura, adeo ut homines, quos libertate suâ privandi reverâ nulla esset causa, sacrilegii aut blasphemiae rei constitui possent, quod utrumque erat capitale (1).

---

(1) *E. d. L.* XII. 3—19 passim. Quantâ levitate ejusmodi criminum rei accusari et condemnari potuerint, inter plures videre est ap. VOL-

Haereticos item omnibus juribus civilibus privari, uti hoc locum obtinebat in Franciâ, ob legis duritiem inutilem, parùm libertati politicae convenire visum Auctori, qui huic legi Anglorum moderationem hâc in re comparat. Nullam verò MONTESQUIVIUS prodit sibi esse notionem ejus libertatis in religione, quae nostris diebus ubique aut concessa est, aut postulatur, ut omnes regionis incolae, absque cultûs divini discrimine, juribus civilibus aeque fruantur. Ultimus scopus, quò tendere auderet, *tolerantia* religionum erat, ita ut nemo suam fidem mutare cogeretur (1).

Quum autem *libertatem* et *securitatem* synonyma habuerit, minus de eâ, quae *agendo* constat, libertate, quam quidem, quae *non patiendo*, locutus est. Ita de preli libertate prorsus tacuit. Educationem item liberam, quam hodie vocant, a civitate praestari oportere civibus, non putasse videtur. Manifestò enim ei ad-

---

TAIRE, *Comm. sur* BECCARIA. Melius etiam ap. MERLIN, *rép.* v. *lèse majesté; fornication*, § 1; *sacrilège; blasphème*, ubi Jctus DAREAU: »Nous observerons qu'une punition aussi sévère dépend beaucoup des circonstances, qui accompagnent le blasphème. Les juges, bien pénétrés, qu'il n'appartient point aux hommes de venger la divinité, — se bornent à considérer les maux, qui peuvent résulter pour la société d'une impieté. — Ils craindraient de punir un emportement de jeunesse, comme on punit des empoisonneurs et des parricides. Ils regarderaient une sentence de mort pour un délit, qui mérite simplement une correction, comme un assassinat commis avec le glaive de la justice." — Tales opiniones apud alios judices receptae, apud alios non receptae, magis etiam precariam reddebant civium securitatem, quum lex illa atrocior arbitrio judicis relinquere videretur, num ipsam sequi vellet, necne. Idem animadverti possit de edicto a. 1682, quo LUDOVICUS XIV magiae temeras accusationes compescere voluit. MERLIN, *rép.* v. *sortilège*, § II.

(1) *E. d. L.* XXIV. 8 sqq; XXV. 9 sqq.

versantur, quae monet de imperantis officio, ut curet, per educationem rite institutam, illos tantùm pueris inculcari affectûs, quibus nitatur cujusvis regiminis principium. Ostendit, quî hoc fieri possit in despoticis et popularibus civitatibus, neque dubitat hâc in re antiquorum rationem recentiori praeferre, quamvis illi ipsis parentibus saepius domesticam in liberos auctoritatem ademerint. In monarchiis, ipso judice, minor datur locus legibus de educatione; nam, quum, e moribus recentiorum, triplex esse soleat juventutis institutio; domestica, scholastica, et tertia illa, quâ cultior societas eminet, haec demum ad regiminis principium aliquid conferre potest, scilicet ut honoris sensus excitetur. Hanc igitur educationis partem solam fusius tangit (1).

Certe siquis secum reputet quaecumque de libertate politicâ dixit MONTESQUIVIUS, dubitari possit an jure ita ad libertatis vindices eum retulerit VOLTARIUS. Verùm enimverò statuendum videtur: *eo praesertim bene meruisse Auctorem N., quod docuerit, jure a societate civili exspectari, et peti, ut libertatis quam plurimum praestet civibus.* De ejus autem finibus neutiquam certas condidit regulas, multò minus quicquam universi protulit de quaestionibus, quâ in re potissimum tribuenda sit plena libertas, quidve faciendum, ut eam nanciscantur cives.

---

(1) *E. d. L.* IV passim. Cf. DESTUTT DE TRACY, *Comm.* v. I, pag. 55 sqq.

B.

Postquam MONTESQUIVII placita adtendimus de *libertate*, sequi videtur, ut disquisitio de *servitute* instituatur, uti de eâ judicavit Auctor, inprimis quum tres de servitute libri in opere inveniantur (XV—XVII); at illi ad juris publici doctrinam paucissima conferunt. Tria statuit servitutis genera: *civilem* (famulorum), *domesticam* (mulierum), *politicam* (populi despotico regimine utentis). De hisce duabus tantùm climatis ratione disserit; de servitute civili agens multis digressionibus historicis indulget, de Veterum agendi ratione erga servos, de manumissionibus apud Romanos, quae huc non pertinent (1); unum verò idque egregium fundamentum totius ratiocinii est, *illicitam esse et semper fuisse omnem servitutem*. Bella et multa alia, quae hominibus in servitutem redigendis opportunitatem dedêre, admittit quidem, ceu naturales ejus causas, sed jus hominis in libertatem nec tolli nec praescribi posse, perhibet. Unum servitutis genus tolerabile ipsi visum est, quippe quod saec. praec. in magnâ Europae parte vigeret, puta colonorum glebae adscriptorum, dum ne alia ipsis obligatio imponatur, nisi agros colendi, quibus adscripti sint (2).

---

(1) *E. d. L.* XV. 11 sqq.

(2) *Servitutem eam personarum realem* nuncupat ib c. 10, ex quo capite simul patet, notam MONTESQUIVIO fuisse distinctionem servorum juris Romani et Germanici, de quâ mentionem feci supra c. II. § 3. De servitutis causis semper illicitis v. *E. d. L.* XV. 1, 5, 6. Ceterùm non omittendum est, nuperrime scriptorem quendam ingratum opus suscepisse, nempe ut adversus MONTESQUIVIUM servitutis causam ageret, saltem quod ad antiquas gentes. Puta M. DE ST. PAUL, *discours*

§ 4. *De* MONTESQUIVII *Anglophiliâ* (1), *ejusque causis.*

Minime omnibus numeris absolutam ducerem juris publici Montesquiviani expositionem, nisi peculiari § adtenderem, quae A. N. dixit de populi Anglici institutis. Exquirendum igitur est, quibus causis motus

---

sur la constitution de l'esclavage en occident, pendant les derniers siècles de l'ère païenne (Paris 1837) de quo cf. *Journal des Savans,* Février 1838. Videtur autem, ad tuendum *jus* homines in servitutem redigendi, nihil adferri potuisse, nisi auctoritas Jctorum Romanorum, quae sane hâc in re parùm efficit. Porro eò tendit scriptum, ut demonstret, antiquas gentes ad industriam et cultos mores non perventuras fuisse, sed rudes manere debuisse et ineptos labori ferendo, nisi servos habuissent. At validis argumentis haec sententia adstrui nequit, quum nullius veteris populi monumenta exstent, qui servis caruerit. Ejusmodi siquid exstaret, dijudicari demum posset, utra ratio praeferenda sit ad vires nationis dominantis physicas, morales et intellectûs excolendas. Servis melius fuisse, si liberi mansissent, nemo est, qui dubitet. Locum MONTESQUIVII, *E. d. L.* XV. 5 sq., de Nigrorum servitute, supra jam laudavi. Quam male is intellectus sit a quibusdam, ostendit nota editoris Neapolitani (recepta etiam in ed. Italicam Florentiae 1822), qui ad ea verba: »Il est impossible qu'ils soient des hommes, puisque, si nous les supposions des hommes, on commencerait à croire, que nous ne sommes nous mêmes pas chrétiens;" ubi ironia captum ejus excederet, animadvertit: »Quì il MONTESQUIVIO la tira troppo, quando nega à' Negri fino la stessa umanità," etc.

(1) Solent Franci eum, qui omnibus aeque Anglorum consuetudinibus adhaeret et admiratione eorum gesta prosequitur, *Anglomaniae* arguere, nec desunt, qui de MONTESQUIVIO eâdem istâ voce usi sint. *Maniae* autem appellatio quum parum congruat Auctoris N. indoli ac vel minimùm huic Anglicorum institutorum studio, quibus per duos annos observando et meditando incubuit, malui novum adhibere vocabulum et *Anglophilum* eum nuncupare.

fuerit, ut admiraretur et diligeret Anglos, uti ex opere *de Ingenio Legum* apparet. Eò majoris faciendum MONTESQUIVII hâc in re judicium, quò vehementius, ante saeculum, *gentili odio* in se invicem agebantur utraque natio, Francica et Anglica, quocirca et ipsi et VOLTARIO complures male vertêrunt laudes genti invisae et infestae tributas (1). Observatu quoque dignum est, quod parvae illae notulae, quae ex annis 1730 et 1731, quos in Angliâ degit Noster, supersunt, omnes fere vituperii et ironiae speciem ferant. Libertatis quidem et legum amorem, qui Anglis esset, verbo memorat, et laudat; verùm acriter carpit superbam, morosam, inertem populi indolem, nec minus procerum vitia, divitias inique distributas, venalitatem omnium rerum animadvertit; duritiem item Anglorum reprehendit in coloniis suis administrandis (2).

Mire haec discrepare videntur cum ejusdem effatis de eodem populo in magno Opere obviis; imò ferme arbitraremur, prioribus potius fidem esse habendam, quippe quae conscripserit, dum in Angliâ moraretur, altera illa postea dudum sint elaborata.

---

(1) VOLTARII significare volui *Lettres sur les Anglais*. Inter Criticos cf. CREVIER, *Obs. sur l'E. d. L.* pag. 5: »L'Anglais doit être flatté en lisant ce livre; mais cette lecture n'est capable que de mortifier les bons Français." Ipse A. N. *L. F.* 15 ait, se opus suum prelo mandari nolle in Angliâ: »qui est une ennemie avec laquelle il ne faut avoir de commerce, qu'à coups de canon."

(2) V. *Pensées* in *Oeuvres Complètes*, ed. 1826, v. VI, pag. 340, ubi simul vaticinatur fore, ut ab Angliâ aliquando sejungantur Coloniae Americanae. — Ib. pag. 335 de Londino legitur: »Il n'y a *pas seulement* d'honneur et de vertu, mais il n'y en a pas seulement l'idée." V. omnes notulas ib. pag. 326—342.

Verùm contrarium statuendum videtur. Quum enim notulas istas festinanter scriptas conficeret, parva incommoda multa sentiebat, quae rarò a peregrinante prorsus absunt, inprimis in regione, ubi ejus gentis paucissimi commorari solerent; et percellebatur, cùm moesto Londini aspectu, tùm duriori et minus urbanâ ratione hospites excipiendi, quae Francos semper in Angliâ offendit.

Disquisitiones item suas de legibus et libertate Anglorum nondum finiverat; hisce vèrò dein absolutis et in ordinem redactis, laetiori colore tincta vidit omnia; plerorumque, quae Anglis propria sunt, rationes perspexit, et scriptis duobus egregiis Operis capitibus, Anglophilus dici meruit (1). Haec igitur adtendenda.

Laudavit autem 1°. legum Anglicarum praestantiam; 2°. efficaciam, quam haberent illae in vivendi rationem Anglorum.

I.

Eò MONTESQUIVIUS ait instituta Anglica reliquarum gentium legibus praestare, quod in libertatis tutelam et omnium commodum sint comparata. At, si adtendimus ea legum publicarum Angliae vitia, quae ante hos paucos annos maxime patefacta et partim emendata fuêre, latis *reformatoriis statutis;* ea porro, quae quotidie adhuc proferuntur de divitiis nobilium supra modum auctis, de iniquis privilegiis, de legum poenalium incertitudine, de ecclesiae Anglicae dominatione, de indigestâ juris scripti et non scripti mole etc., ratio est suspicandi, num hodie libertatis illa laus meritò populi

(1) *E. d. L.* XI. 6, et XIX. 27.

hujus constitutioni tribui possit; multòque minus eà laude digna videtur Anglia sub GEORGIO II, ex quo inde tempore multi adeo abusûs exolevêre (1).

Profectò libertatis studium non magnopere prodit illud e. g., quod utraque lex in rebus civilibus colenda (*communis* et *statutaria*) in eam voluminum excreverit molem, junctis omnibus judicum sententiis, quae legis instar habentur, ut nemo fere civium, litem suscipiens, noscere possit quid agendum sit, quum juris peritissimis etiam multa in processuum ordine arcana sint (2); quod lex criminalis saeva et atrox gravissimas poenas permultis facinoribus minitetur, dum a plurimis maleficis, ficto quodam privilegio, supplicium omnibus scriptum averti possit (3). Magis etiam a liberi populi indole discrepat, quod innocui descendentes et adscendentes maleficorum puniantur, nec ullo modo maculam eruere possint sibi inustam propinqui scelere (4).

---

(1) Hinc (1831) in coetu legifero Badensi dixit v. cl. VON ROTTECK: »England gehört zu den Ländern, in denen die Kenntnisz des Bürgerrechts und Bürgerwohls erst nun aufdämmert." Quod effatum refutare studuit cl. BIRNBAUM, *ü. die Rechtl. Natur. der Zehnten*, pag. 16.

(2) Explicite haec dixit cel. MEIJER, *sur la codification* (Amst. 1830), lettre IV, pag. 213 sqq. Cf. Idem, *Inst. Jud.* l. III, c. 21.

(3) De *Beneficio clericali* sermo est, ex quo hodie malefici deportari solent, antiquitus impunitatem consequebantur, inflicto solùm manui stigmate, ne iterum idem privilegium invocarent. Veri clerici et Pares vel hodie primâ vice supplicio immunes sunt. Omnibus tribui potest beneficium clericale, qui perpetrarunt unum ex iis criminibus, quae *feloniae* et *perduellionis minoris* (*petty treason*) nomine comprehenduntur. V. BLACKSTONE, *Commentaries on the laws of England*, B. IV, ch. 28, coll. ch. 14.

(4) *Corruptio* enim *sanguinis* successionem in bona malefici capite damnati impedit, neque ipsius hereditatem capessere possunt liberi

Porro siquis, reprehendendi proposito, Angliae constitutionem exploret, indignatione prosequatur necesse est ambitum apertum et sexcentas fraudes in singulis comitiis obvias; incuriam boni publici et honorum cumulationem, quibus ansam dat conditio procerum, dum omnium fere, qui politicis rebus sese inmisceant, summum propositum videatur, munus nancisci et reip. sumtu vivere. Quò certe non minimùm confert ratio succedendi in praecipuis fundis, ut maximo natu filiorum omnia cedant, quippe quâ divitiae conglomerentur, multi lauto prius victui assueti pauperes evadant, et famelici fisco inhient. Alii queruntur de oneribus, quibus obruitur Britanniae populus, de Anglicani cleri reditibus, deque sumtibus regiae aulae, monarchicum regimen nimio constare affirmantes (1).

Haec si hodie etiam, cùm ab Anglis, tùm ab exteris proferantur (de Hiberniâ taceam), quantò magis libertatis studium desideratum fuisse putabimus ante saeculum, quum duriora multa legis vigorem obtinerent. Exemplo sint poenae statutae in crimina adversus Deum, uti dicebantur. Eo in genere apostasia (cujus reus erat quisquis religionem Christianam scripto vel verbis offendisset), item adhaesio sectae alicui Trinitatem neganti, primâ vice puniebatur eâ capitis deminutione,

---

vel parentes; neque jure repraesentationis ex ejus personâ ad ullam successionem admitti; v. BLACKSTONE, *Comm.* IV. 29. — MEIJER, *Inst. Jud.* III. 18.

(1) De *majoratibus* cf. BLACKSTONE, *Comm.* II. 12; de incuriâ procerum BULWER, *England and the English*, B. I. Ch. I et passim; de sumtibus DESTUTT DE TRACY, *Comm.* v. I, pag. 260 sqq. et pleraque diaria mensibus Majo et Junio 1838, passim.

quâ qui adflictus esset, nunquam munus obire posset; sin pluries commissum idem facinus, carcere. Mulcta scripta erat, si quis die dominicâ ecclesiam non adiisset. Eandem solvere cogebantur (qui etiam nunquam ad munera admitti poterant) *non-conformistae protestantes*, ceteroqui bene habiti. In catholicos reverâ saevierant legumlatores in statutis per singula regna, ab ELIZABETHÂ ad GEORGIUM III, sancitis et renovatis, hujus demum a. 31, c. 32, moderatis. Vetabat enim lex, ne *papista* dominio teneret bona immobilia; ne arma equumve haberet; ne ultra quinque lapides a domicilio abiret, aut intra decimum lapidem Londinum accederet; ne docendi munus capesseret. Cogebatur liberos baptizandi causâ in ecclesiam Anglicanam conferre; missam qui audiisset, mulctâ plectebatur et carcere; sacerdos, si munere functus, carcere perpetuo; si protestantem ad catholicam fidem seduxisset, crimen poterat capitale haberi. Non semper ultimo rigore haec omnia executioni mandabant magistratûs; attamen id facere poterant, et, quoties timebat populus, sibi instare STUARTORUM reditum, nullâ indulgentiâ utebantur. Ejusmodi opportunitate item saepius, legis vigore caruit (per aliquod tempus) celebre statutum CAROLI II, a. 31, c. 2; et, promulgatis multis legibus in privatos (*bills of attainder*), licentia prehendendi et carcere includendi cives data Regis officiariis; magnoque numero caesi perduellionis inprimis rei aut suspecti (1).

---

(1) BLACKSTONE, *Comm.* IV. c. 4. pag. 44, m. sqq. SCHLOSSER, *Gesch. d.* 18ten *Jahrhunderts,* v. II, pag. 121, 193. SMOLLETT, *hist. of Great Britain* (GEORGE II), ch. I, VI pr. *E. d. L.* XII. 19 et notâ.

Quibus adde, delegandi rationem eâ aetate imperfectam valde fuisse, quum jam tunc pars populi in magnis et opulentis urbibus habitans delegatis careret; antiqua oppida, ubi paucissimi essent suffragii jure gaudentes, unum aut plures haberent; et in curiam Parium complures sui loco procuratores mitterent (*proxies*); ambitus autem certe non magis quam hodie coercebatur (1).

Hasce autem et plures mendas in regimine legibusque Angliae non eâdem mente vidit MONTESQUIVIUS, atque hodie exteri etiam eas intueri solent. Cujus rei tres causae recenseri possunt;

1°. Quod ipsi Angli, post conversionem a. 1688, nondum emendare studuissent constitutionem suam (uti hoc saeculo factum), sed qui libertatis patroni dicerentur in eorum coetibus, legiferis saepe quidem imperantium, neutiquam verò legum ipsarum vitia adorti essent (2);

2°. Quod permulta, quae hodie dura videantur, tunc, respectu reliquae Europae habito, *liberalia* dici mererentur instituta, uti apparet, siquis e. g. leges Angliae de haereticis conferat cum iis, quae in Franciâ de reformatis vigerent. Mites quoque Angliae leges crim. vocat MONTESQUIVIUS, idque maxime ob beneficium clericale et tormentorum abolitionem (3);

---

(1) Lex de ambitu exstat, 7 GUILIELMI III, c. 4; at nullus ejus adparuit effectus. Cf. BLACKSTONE, B. I, c. I, pag. 166 sqq. et de reliquis c. 2, pag. 177 sq.

(2) SMOLLETT, *hist. of G. B.* GEORGE I et II, passim.

(3) De tolerantiâ rerum cultûs divini penes Anglos v. VOLTAIRE, *lettres sur les Anglais*, 1, 5, 6. Auctor, *E. d. L.* VI, 17, de quaestione per tormenta loquitur. Non illuc, sed ad poenas referendum esse

3°. Quod laudibus reverâ efferri mereretur Anglica constitutio supra omnia reliqua Europae regimina saec. praec. Hoc quum primus ex politicis scriptoribus continentis Europae viderit Auctor N., haud mirum est, vix eum observasse maculas, quibus hîc illic inquinaretur (1).

Namque vidit, quantopere repraesentativa illa monarchiae forma reliquis praestaret; eòque melius fortassè ejus commoda sensit, quoniam recordaretur, eandem patriae suae olim propriam fuisse, at periisse, quia servata non fuissent majorum instituta (2). Praesertim, uti vidimus, aptam summi imperii distributionem admiratur MONTESQUIVIUS, egregie in illud comparatam, ne quid temere in legum constitutarum detrimentum fiat. Quo respectu ea maxime laudat, quibus abusûs potestatis exsecutricis et judiciariae cohibeantur, puta circumscriptam regis *praerogativam* et processum per *juratores*. Hujusce instituti, etsi incommodis haud carere illud ferant quidam, beneficia universe agnoscuntur, nec potuit A. N. non ejus laudes celebrare, qui arbitrariae potestati in republicâ sincere adeo adversaretur (3). Summopere item ejus calculum meruit, quae

---

supplicium, quod in Angliae legibus dicitur *peine forte et dure*, ostendit MEIJER, *Inst. Jud.* L. III. c. 17.

(1) Cf. VON ARETIN, *Const. Staatsr.*, v. I, pag. 30, 89 sq.

(2) Sic conjicere licet ex *E. d. L.* XI. 8.

(3) *E. d. L.* VI. 3; XI. 6 a. m., 18; XXVIII. 27, ubi existimare videtur, processum coram juratoribus originem suam debere *mallis* seu *placitis comitum* in regimine feudali, quod negat MEIJER, *Inst. Jud.* III. 11. Quaecumque in laudem processûs per juratores dici possint, contulit DELOLME, *Constitution de l'Angleterre* (Genéve, 1787), l. I, c. XI, XII (v. I, pag. 164—180).

arcte cum juratorum processu cohaeret, publica judiciorum notitia; item statutum de non incarcerando eo, qui cautionem sistere queat, necnon actus qui *habeas corpus* dicitur (1).

Quaevis autem munimenta legitima, quibus cives Anglici tuti praestarentur ab ausibus principum vel ministrorum ad evertendas leges, saec. praec. nitebantur statutis sub utroque *Stuarteae* stirpis CAROLO latis vel potius extortis; porro et maxime iis, quae primo anno GUILIELMI III et MARIAE signata sunt, concessaque ab his principibus, ut sancirentur jura a parlamento invocata Febr. 1688 celebri statuto (*bill of rights*) (2).

Debebantur ea igitur conversioni, quae tunc ad finem perducta erat, postquam per totum ferme saeculum 17um absolutae potestati Regum restitisset populus Anglicus. Hinc etiam evenit, ut nihil non egregium existimarent eorum, quae secum tulerat memorabilis ille adventus GUILIELMI ARAUSIACI, ac ne acerrimi quidem partium popularium propugnatores aliò tenderent, nisi ad haec tuenda, horum incolumitatem sanciendam. Amor et admiratio constitutionis penes Anglos inprimis etiam augebantur timore, ne *Stuartei* principes redirent, quo callide uti solebant ministri Regum *Brunsvicensium*, ad delegatorum benevolentiam sibi captandam.

Ita etiam MONTESQUIVIUS, quum Anglos familiares suos (v. supra c. I, § 1) de legibus publicis ita confabu-

---

(1) V. DELOLME, *Const.*, l. I, c. XIII (v. I, pag. 184 sqq.). BLACKSTONE, *Comm.* I, c. 1, n°. 2.

(2) HUME, *Hist. of England* (CHARLES I), praesertim ch. LI, ibique notâ 5 B; (CHARLES II), ch. LXVII. SMOLLETT, *Hist. of G. B.* (WILLIAM *and* MARY), ch. I. BLACKSTONE, *Comm.* I. 2. DELOLME, *Const.* l. I, c. II (v. I, pag. 50); l. II, c. XIV. (v. II, pag. 58 sqq.)

lantes audivisset, id praesertim miratus est, nec immeritò, quantâ curâ cautum fuerit, ne rex *praerogativâ* suâ abutatur, dum simul tamen una sit potestatis exsecutricis agendi ratio (1). Porro, quae maxime Franco ob oculos versari debuit, cujus patriae legibus nunquam fines legiferae et exsecutricis potestatis accurate delineari potuerant, *Omnipotentia* erat parlamenti, quod ad leges statuendas, dum idem illud nullam vim in regimen immediate exercere solebat (2).

Procul etiam abfuit, quin magnum jurium discrimen inter nobiles et reliquos Angliae cives ipsi (quippe nobili) displiceret. Procerum coetum (*peers*) *fulcrum monarchiae* appellabat; ordinum privilegia et distinctiones quam maxime tuebatur, imò censebat, injuste habitum iri nobiles et potentes viros, si, pariter ac reliqui, delegatos suos mitterent. Libertati et aequalitati satis prospectum esse putat, dummodo omnes secundum leges judicentur; non opus esse, ut omnibus lex eadem et jura civilia aequa sint (3).

---

(1) Legatur *E. d. L.* XI. 6 passim, maxime extr., ubi constitutionis Anglicae ruinam praesagit, siquando major corruptela in populi delegatis, quam in ministris regiis deprehendatur; tunc enim fore, ut potestati exsecutrici soli subsit populus.

(2) De parlamenti potestate sic BLACKSTONE, *Comm.* I, c. 1, p. 162: »This is the place, where that absolute power, which must in all governments reside somewhere, is intrusted by the constitution of these Kingdoms. Parliament can regulate or newmodel the succession to the crown, — item, alter the established religion of the land, — it can change and create afresh even the constitution of the Kingdom and of parliament themselves. — It can, in short, do every thing, that is not naturally impossible; and therefore some have not scrupled to call its power, by a figure rather too bold, *the omnipotence of parliament.*"

(3) *E. d. L.* XXIX. 18 universe dixit: »Lorsque les citoyens sui-

Praeter haec omnia, quibus adde laudem quâ universa Europa eo aevo oratores politicos utriusque coetûs parlamenti prosequebatur; alia etiam causa adfuit, cur MONTESQUIVIUS pulcra tantùm et bona quaeque in constitutione Anglicâ viderit. Nempe, quod ea non esset *lex* temere vel subitò invecta sive a principe, sive a coetu populari, verùm totâ historiâ Angliae niteretur. Singulae enim rerum conversiones aliquid ei addiderunt, quo illo ipso temporis puncto indigeret populus; ita ut nusquam magis constaret, quam in Angliâ, leges publicas accommodatas esse populo, qui ipsis regebatur. Enimverò Auctori Nostro, qualem ipsum novimus, numquid praestantius videri potuit, quam hanc *magnam* illam *Chartam* saeculo fere barbaro conditam, urgente necessitate et certae legis inopiâ, adeo nationi aptam apparuisse, ut, licet per saecula adeo vehementer periclitata sit flagrantibus discordiis civilibus, firmatoque per aliquod tempus despotico regimine, tamen ad eam reverti debuerint politici, et cultiori aevo, quantùm possent, iisdem praesidiis libertatem politicam tuiti sint in *jurium petitione* (1)?

Neque hisce repugnat, quod Auctor e Germanicarum gentium moribus repetierit rationem parlamenta habendi et imperii distributionem, laudatis verbis illis TACITI; »de minoribus rebus principes consultant, de majoribus omnes" etc. (2).

---

vent les lois, qu'importe qu'ils suivent la même?" MONTESQUIVII sententiam de *Paribus* carpunt DESTUTT DE TRACY, *Comm.* v. I, pag. 248 (cap. XI. § 1). WEITZEL, *Gesch. d. Staatsw.*, v. I, pag. 219.

(1) Cf. RAYNAL, *Hist. du parlement d'Angleterre* (Londres, 1740), pag. 37 sqq. [*Magna Charta*], et HUME, l. c. [*petition of rights*].

(2) TACITUS, *de mor. Germ.* c. VI. *E. d. l.* XI. 6 extr. VOLTAIRE, *Comm.* c. XLII. DESTUTT DE TRACY, l. c.

Non tamen, licet hoc paradoxon videatur, est quod credamus, A. N. ignorasse, quomodo, ex Normannorum invasione inde, crebrae Regum contentiones, nobiliumque, et increscens potentia municipiorum sensim constitutionem efformârint. Quominus illum hoc ignorasse putemus, vetant cura et labor, quibus perscrutari debuit historiae et legum monumenta, ut eam constitutionis Anglicae epitomen conscriberet, de quâ agimus. Deinde, si in memoriam revocemus MONTESQUIVIUM historiae Franciae ita incumbentem, ut, item TACITI ductu, plurima Francorum instituta, imo feudorum originem e Germanicarum gentium moribus antiquis repeteret, arbitrandum videtur, similiter de Angliae regimine egisse, ut longe altius quam a regibus *Plantagenetis* illud deduceret. Adhuc enim sub judice lis esse videtur, utrùm, qui Saxonibus fuit, *coetus procerum* (*wittenagemot*) idem fuerit institutum atque postea parlamentum; an verò plane cessaverit ille coetus tempore invasionis Normannorum, nec unquam revixerit. Tertia etiam conjectura est, num forte sub Normannis convenire perrexerit senatus ille populi victi, verùm ab JOANNE demum et HENRICO III impetrare potuerit, ut rex ipsum in consilium adhiberet de rebus regni; ita exstiterit curia Inferior (*commons*), dum Superior semper Normannis baronibus constaret (1).

(1) BLACKSTONE, *Comm.* I. 1, pag. 148. MEIJER, *Inst. Jud.* III. 1, 3. RAYNAL, *Hist. du parl.* pag. 23, 112 sqq. Egregie pro tertiâ conjecturâ pugnare videtur formula statutorum, qualem sub EDUARDO I. adhuc fuisse docemur ib. pag. 131: »Accordé par le Roy et les Seigneurs spirituels et temporels aux prières et aux supplications des communes." De coetu, cui nomen *Wittenagemot*, dixit HUME, *Hist. of E.* (*the Saxons*), ch. III, appendix I.

Sive primam, sive tertiam ex his sententiis amplexus, potuit MONTESQUIVIUS *in sylvis Germaniae* origines constitutionis Anglicae quaerere, nam cum omnes Regum Saxonicorum leges scriptae, inde ab ETHELREDO, Cantiae principe (m. saec. 6), de illo coetu testentur, existimandum videtur, Saxones hanc regiminis formam secum e Germaniâ duxisse. Itaque paulò audacius locutus sit Auctor; historiae eum ignarum fuisse, ex hoc saltem effato non apparet.

II.

Quum autem, uti dixi, propriâ industriâ pleraque colligere debuerit, in quosdam errores de legibus publicis Angliae incidit, quorum hi duo praecipui sunt:

A.

Semper *Regis* et *potestatis exsecutricis* nomina synonyma ipsi videntur (confusis paululùm divisione et distributione summi imperii); itaque vix notat partem Regis in legibus ferendis; vel, quod obscurius etiam, jus regium *vetandi*, ne leges promulgentur, ejus potestati exsecutrici tribuit. *Regem* etiam et *parlamentum* saepius sibi invicem opponit, licet juris publici Anglici placitum sit, parlamentum tribus *partibus* constare, Rege, paribus, delegatis populi, neque vetandi jus, neque *initiativam*, quae dicitur, cuiquam ex his prae ceteris competere (1);

---

(1) *E. d. L.* l. c.: »Si la puissance exécutrice n'a pas le droit d'arrêter le corps législatif," — etc. DELOLME, *Const.* L. I, c. III; II. c. III et XX (v. I, pag. 56 sqq., 213; II, pag. 240 sqq.).

B.

De *aequitatis judiciis*, quae maximi adeo momenti sunt in Angliâ, et pauca et ea parùm accurata protulit. Dicit enim l. c. ad legis rigorem moderandum, ex coetu legifero quosdam in *tribunal* convenire, quod non ita verbis legis adstringatur, ac reliqui judices. Vix aliud voluisse ibi potest, quam *curiam aequitatis*. Verùm solent quidem litigantes dicis causâ de legis communis defectu queri, quoties ad eam curiam causa defertur, sed reverâ practica illius utilitas est, ne ob parva formae vitia causâ cadant litigantes, porro ut res minorum, hospitiorum et similium, faciliori modo, gerantur (1). Male etiam eam constare perhibet delegatis ex coetu legifero, quum notum sit, in curiâ aequitatis, Cancellario assidere quatuor judices ordinariae curiae scaccharii (*court of the exchequer*) addito quaestore (2).

Vix credibile est, hoc MONTESQUIVIUM latuisse. Utut est, ex dictis apparuit, complures fuisse causas, cur magni faceret leges Anglicas, nec parùm laboris eum impendisse iis cognoscendis.

III.

Porro efficaciam describere conatus est, quam leges in mores et indolem populi Anglici haberent, quorum non ita ab omni parte laudatorem se praestitit, ipse confessus, legum praestantiae nihil derogari, etiamsi

(1) Teste BLACKSTONIO, *Comm.* III. c. 4, pag. 43 sqq.; c. 27, p. 427 sqq. et 446, notâ *x*, ibique CHRISTIAN Jctus.

(2) DELOLME, *Const.* L. I, c. X (v. I, pag. 103).

non omnibus earum commodis gaudeat inpraesentiarum populus.

Facile carebit lector analysi observationum de Anglorum moribus, quas capite illo congessit MONTESQUIVIUS, immixtis quibusdam de historiâ et politicâ prudentiâ Britanniae.

Id solùm animadvertendum; nempe, quae hodie, ceu illius populi vitia ab exteris vituperari soleant, optimatum superbia et metus, ne inferioris ordinis homines in familiaritatem suam admittant (*exclusiveness*); porro, qui Anglis est nimius amor antiquorum institutorum, quamvis tempus alia suadeat; haec, inquam, MONTESQUIVIO ingrata esse non potuisse. Sed pro suae nationis ingenio, maxime offendebatur minori urbanitate Anglorum, cujus tamen honestas causas quaerit. Dein id inprimis mirabile et laude dignum videbatur nobili togato, quod civiles magistratûs aequo saltem, nisi majori honore afficerentur, quam militaria munera.

Politicarum partium inter se discrepantium quae essent incommoda, probe perspexit; verùmtamen non putavit, ullum detrimentum universae constitutioni inde oriturum esse. Causa in aperto est. Quippe patriae suae prodesse cupiens Auctor, incitandis civibus, inprimis potentibus, ad cognoscenda et meditanda politices sana principia, gaudere debuit, quod in Angliâ videret, quaestiones politicas et publice et summâ animi intentione a cujuscumque conditionis hominibus agitari.

Partium desultores, qui magno numero exsistere solerent, quoties ministri regii novi crearentur, indignatione quidem prosequitur, sed horum agendi rationem non prorsus inutilem censet, quum ita populi animis

alte reposita maneat diffidentia, quae constitutionis sit munimentum.

Quae de religione dicit, multos eam parùm curare animadvertens, dum simul urgerent, quandam cultûs formam conservandam esse, eximie de saeculi 18[i] priori parte valebat, quando innumeri libri religioni adversantes in omnium manibus erant, omnes fere proceres *naturali religioni* adhaerebant, attamen cuncti, constitutionis servandae causâ, dimicare parati erant pro Anglicae ecclesiae dominatione et privilegiis.

Universe autem, hoc loco, significare videtur MONTESQUIVIUS, Anglos non plene, attamen probabili satis ratione, illâ libertate frui, quam secum ferre deberet constitutio.

Interdum etiam a familiaribus, quos adiit, ut Anglicas leges publicas nosceret, quaedam sibi persuaderi passus videtur minus probanda. Tuitus enim est nonnullas leges et consuetudines Anglicas, quae reverâ probari non possent. Ita tradit, Hiberniam bono regimine civili usam, porro, mercatorum bono cedere leges Angliae prohibitorias, alia (1).

Nihilominus fatendum, validis rationibus motum fuisse MONTESQUIVIUM, ut Anglophilum se praestaret.

A. N. igitur dilexit et laudavit Anglos, quia

---

(1) *E. d. L.* XIX. 27: »L'état conquis" (Hibernia), »aurait un très bon gouvernement civil, mais il serait accablé par le droit des gens (?)." Ibidem asserit Anglorum artem politicam honestioribus uti rationibus, quam aliorum populorum; XX. 12 tuetur leges prohibitorias, de quibus infra; XXIII. 8, haud improbandam dicit licentiam matrimonia contrahendi trans Scotiae fines absque parentum consensu; XII. 19, non semper noxias esse censet leges in privos irrogatas (*bills of attainder*). Raró aliquid Anglicâ lege sancitum reprehendit, uti XXVI. 8.

leges despoticae regiminis formae adversantur, quia jus inprimis publicum historico fundamento nititur, quia religiose leges suas veneratur populus, et quia universae nationi summa est rerum politicarum notitia et cura.

§ 5. *De* MONTESQUIVII *placitis Oeconomico-Politicis.*

Jam, ad finem perductâ expositione eorum, quae MONTESQUIVII opus potissimùm nova in jure publico docuit; ad ipsius cognitionem plene efformandam requiri existimo, ut mentio fiat ejus operae in *disciplinâ oeconomicâ*, quam ne verbo quidem hucusque tetigi. Hujusce enim complura tractavit capita (1); suas, nonnumquam novas et prorsus singulares, protulit opiniones, et graves de iis motae sunt controversiae a recentissimis scriptoribus.

Dure inprimis, nec fortasse immeritò, Auctorem N. habet SAYUS, ubi dolet, Virum, ad reliqua tam egregie comparato ingenio, de ejusmodi argumentis scripsisse (2).

---

(1) Sunt ea praecipue: luxus et leges sumtuariae (l. VII), tributa (XIII), mercatura extranea et res monetaria (XX—XXII), numerus incolarum (XXIII).

(2) J. B. SAY, *Cours complet d'écon. pol. pratique*, P. VII, c. 11 (ed. Brux. 1832, v. III, pag. 315): »MONTESQUIEU avait un génie élévé; il aimait la vérité; il méprisait la sottise, et détestait le despotisme; mais il est véritablement affligeant, qu'il ait parlé de commerce et d'industrie." Idem *Corresp. et Mélanges* (Brux. 1833), pag. 271, locos reprehendit *Ep. P.* 112—120; *E. d. L.* XXIII. 17—20, de hominum numero minuto per orbem terrarum. Negligentiae scilicet arguit MONTESQUIVIUM, quod se falli passus sit Veterum commentis de magnis copiis rerumpublicarum Italiae, Siciliae, Graeciae heroico jam aevo, de potentiâ regum Asiae Minoris, de urbium millibus ad Nilum sitis, de

Quò magis pateﬁat, quid boni praestiterit MONTESQUIVIUS, et unde ejus errores ducendi sint, spectemus:

1°. Numquid melius docuerit, quam apud aequales receptum esset;

2°. Quae falsae notiones ipsum a rectâ viâ abduxerint;

3°. Numquid cum juniori physiocratarum scholâ commune habuerit.

A.

Doctrina de divitiis, MONTESQUIVII *tempore recepta.*

Quod ad hanc disciplinam, sane non leve negotium est, critices praecepto obsequi, ut, *ratione aetatis habitâ*, Auctorem dijudicemus. Quippe nec nomen, nec definitionem, nec systema doctrinae de divitiarum ortu, augmentisque, invenerant scriptores prioris aevi; omnia haec exstitêre demum ex QUESNAYI et discipulorum officinâ (1).

Hodie, postquam ad summam adeo dignitatem pervenerit Oeconomia politica, vix recte percipi potest, quantò difficilior inquisitio veritatis esset antiquioribus illis, quippe qui singula quidem veluti palparent, sed nexum et vincula non viderent.

Utut est: jamdudum ante MONTESQUIVIUM, Itali An-

Thebis ἑκατομπύλοις, etc. »Si disciplinae," inquit, »nostrae rectas habuisset notiones, sensisset, regiones illas numquam satis proferre potuisse ad tantos populos alendos, et hoc quidem per eam, quae ubique invaleret, bellorum frequentiam et licentiam; dum imperfecta etiam esset navigationis, industriae, arithmetices notitia, durum plerisque regimen."

(1) V. *Physiocratie, ou Constitution naturelle, récueil publié par* DUPONT (*de Nemours*), Yverdun 1778, ibique v. III. diss. DUPONTII, *sur l'origine et les progrès d'une science nouvelle.*

glique, necnon, inde a COLBERTI rerum gestione, Franci complures, varia scriptis protulerant de causis opum et prosperitatis, quam cuncti nummorum abundantiâ vel frequenti permutatione constare censerent. Simul civitatum rectores Europae sensim sensimque unâ omnes viâ incedere coeperant, legibus in favorem mercaturae et industriae condendis.

Multis denique in rebus idem semper modus et agendi et ratiocinandi ita receptus fuerat, ut posteri perhibuerint, jam tunc unam fuisse et bene compositam doctrinam, et vulgò dicatur saec. 17mo praevaluisse *systema mercantile*. Serius (a. demum 1760) Anglicus scriptor STEWART reverâ ejusmodi quid condidit, quod physiocratarum systemati opponeret.

Mercantiles autem illi antiquiores videbant, unumquemque *mercantem* (non tantùm eos, qui in specie *mercatores* audiunt), quando res suâ alienâve industriâ confectas alienat, id agere, ut pro merce minoris pretii mercem pretiosiorem nanciscatur. Hinc falsò existimârunt, semper, ubi alter contrahentium lucraretur, alterum damnum capere. Etenim, sic ajunt, *Cajus*, qui mercem vendendam offert, si voti compos fit, merce pretiosiori *Sejum* privabit, viliorem ejus loco dabit; contra, si *Sejus* queat efficere, ut *Cajus* pro suâ merce accipiat eam, quam *Sejus* alienare cupiat, permutatio detrimento cedet *Cajo* (1). Non refutatione indiget falsa illa sententia. Hâc tamen ducti Auctores ejus systematis perhibuerunt, a foris quisque suis arcendos

---

(1) Cf. GANILH, *des systèmes d'écon. pol.* (Paris 1821), v. I, p. 48 sqq.; II, pag. 30. DE SISMONDI, *Nouveaux principes d'écon. pol.* v. I, pag. 33.

peregrinos cum mercibus suis, et curandum esse, ne metalla pretiosa eveherentur?

Namque, sic dicentes audio: Si in quâdam regione multi mercantes res suas ita egerint, atque casu ultimo memorato *Cajus*, pauperior fiet ea regio. Quum tamen omnium regionum incolae eòdem tendant, ut suas quisque merces cum pretiosissimis permutent, nostro detrimento obviam iri nequit, nisi extraneis adimatur opportunitas res suas pro lubitu in nostra fora adferendi. *Ipse Cajus statuat, quid velit loco suae mercis a Sejo accipere.* (Sin uterque contrahentium ejusdem est patriae, reip. non referre ajunt, uter damnum lucrumve capiat). Hinc prohibitiones, onera, et vexationes mercatorum peregrinorum, quae nec hodie ubivis cessârunt.

In eligendo autem mercis genere, quam (nisi magna alîus cujusdam egestas cogat) semper pro suis accipere velit, vix ullus dubitationis locus erit *Cajo.* Quidni eliget nummos? vel saltem metalla, unde nummi fiant? Nimirùm, quamdiu pecuniâ usi sunt homines, ut valoris mensuram haberent, is dives nuncupatus est, cui multi essent nummi. Id reverâ *mercantilibus* concedi oportet, illum qui agri jugera centum, aut totidem modios frumenti habeat, non quandocumque velit eorum ope sibi comparare posse alia vitae commoda, quia non omnes mercem habentes, quâ ipse indiget, eam cum agris frumentove mutare velint; contra, qui argenti centum habeat libras, confestim cujus generis merces velit, sibi comparare posse.

Attamen opum et mercaturae naturam parùm cognitam habuisse illos oportet, qui tantum inter nummos et alias merces inesse putarent discrimen, ut opinarentur

omnes merces nil ad societatis divitias conferre prius-quam in nummos conversae essent (1). Ita legumlatores et scriptores de reditibus publicis, omnes illos mercatûs prodesse existimabant, quibus pro mercibus nummi; damno cedere omnes, quibus pro nummis merces inveherentur. Aliquando tamen, sed rarò, rerum natura mercatores ipsos cogebat, aliter de suis commodis arbitrari, uti e. g. Anglorum societas Indica, brevi postquam exstitisset, perspexit, se optime negotia sua gesturam, si aurum argentumque exportaret; quâ de re querelae in parlamento motae (1622) nec lis componi potuit, priusquàm exportare certam nummorum quantitatem concessum fuisset, additâ hâc absurdâ conditione, ut intra tempus definitum tantundem certe metalli rursus inveheretur (2). Universe dolebant mercatores, si quando ita a normâ recedendum esset.

Porro metus ille, ne pecuniâ numeratâ careret patria, effecit, ut cogerentur cives sustentare popularium suorum opificia emendis eorum rebus confectis, ut invectio rerum elaboratarum, evectio rudis materiae praeverteretur. Ei enim proposito officinae inservire censebantur, ut mercator semper in forum afferre posset merces, pro quibus pecuniam ab exteris acciperet. Eò-

(1) Pecquet, *l'E. des Maximes Pol.* ch. XX, pag. 190: »Un homme n'est pas riche, quand il a cent muids de blé dans son grénier; il faut qu'il les aït vendus" etc.

(2) Say, *Hist. abrégée des progrès de l'écon. pol.* Epoque III; subj. *Cours complet,* v. IV, pag. 378 sq. V. apud Hume, *Hist. of England, Appendix to* James I, quam inepte eo tempore questi fuerint Angli de *mercaturae bilance* in suum detrimentum vergente, quamvis simul crescentis prosperitatis signa negare non possent. — Cf. ib. notâ 4 Z.

dem multa foedera spectant de mercaturâ inita. Prohibendi merces iis casibus haec est ratio:

Cajus, nisi ipse mercem conficiat, quam *Sejo* vendat, debet eam a *Manio* quaerere, qui fortasse viliorem eandem habet, quam ipse conficere possit; at tunc *Manii* erit decernere, quid pro illis poscat, verosimiliter nummos. Potius igitur, quamvis magnis sumtibus, ipse mercem producet *Cajus*, et a *Manio* confectam invehi prohibebit, ne ab extranei arbitrio pendeat. Foederum istorum de mercaturâ haec summa:

Cajus, postquam *Sejum* coëgerit ad morem sibi gerendum, stipulatur, ut ne *Sejus* a *Manio* emat, quodcumque ei adferre possit *Cajus* (1).

Numquam tanto cum rigore haec placita in usum collata, quanto sub ministro regio COLBERTO, cujus ordinationes majori ex parte MONTESQUIVII etiam tempore vigebant. Hinc *Colbertismi* nomen inventum, cujus haec praecipua sunt lineamenta.

Divitiae acquiruntur nonnisi per mercaturam externam, detrimento reliquarum gentium. Sollicitum esse oportet imperantem, ut omnes mercatorum et opificum actûs eò tendant, ut plus mercium exportetur, quam invehatur, sive *bilanx mercaturae* sibi faveat. Itaque prohibebantur res confectae in officinis exteris, quarum similes in Franciâ conficerentur; vel saltem gravissimis oneribus deprimebantur; nec licebat *rudia* eve-

---

(1) MABLY, *droit public de l'Europe*, v. II, pag. 317, 488 sqq. *Aanwijzing der heilzame politike gronden en maximen van Holland*, enz. (Leyden 1669), D. II. H. VII—X. Ibid. D. I. H. XIII, XVII sq., ubi explicatur, quantò melius de industriae et mercaturae libertate judicaverint majores nostri, quam reliqui Europei.

here quaecumque *elementa*, quibus indigerent officinae illae.

Hinc praemia concessa et restitutio tributorum iis, qui plurimas a Francis confectas merces eveherent. Saepissime praemia privilegiis constabant et monopoliis, quae ne effectu carerent, instituendi erant officiarii multi, qui curarent, ne quis extra fines Franciae, vel etiam provinciae, ejusdem generis mercem transveheret. Illae industriae species, quae monopoliis non niterentur, exerceri solebant ab opificum collegiis, seu gildis, quas COLBERTUS utilissimas habebat, curabatque, ut probe sejunctae manerent. Porro, quum provinciae suis quaeque mercibus conficiendis excellerent, et expediret e singulis tantum lucri percipi, quantum fieri posset (scil. peregre evehendo); nova haec exstitit causa internarum quoque prohibitionum et immensae portitorum catervae. Nullius autem mercis gravioribus poenis prohibita erat evectio, quam auri, et nummorum. Peregrinantes adeo per Franciam inquisitionem pati debebant, ut constaret, quantum eorum secum ferrent, ne plus eveherent, quam intulissent.

His oneribus juncta erat dura et molesta *tributa* percipiendi ratio, quam supra attigi, neque hic latius exponendi locus, quum cura rei pecuniariae administrandae distincta potius ab oeconomiâ pol. disciplina sit. (Germ. *Finanz-Wissenschaft*).

Siquis hodie talem conditionem secum reputat, id tantùm dubium videri potest, utrùm magis depressa fuerit gentis industria et prosperitas, iis, quae agerent imperantes mercaturae sustinendae causâ, an verò iis, quae palam in fisci commodum fierent.

In hisce solis causas malorum quaesivit marescalcus

DE VAUBAN, quum sub finem regni LUDOVICO XIV, referret de populi miserâ conditione; oeconomicos errores nec ipse nec quisquam aequalium viderat (1).

At non ubique, nec ab omni parte, imperantium statutis circa divitias adhaerebant scriptores mercantiles; saepe dissentiebant. Nimirùm, ut in nummis solis cernebant divitias, ita quoque complures hâc doctrinâ praestantes viri, in Italiâ maxime et Angliâ summo studio incubuerant, ut rectas sibi notiones de naturâ, valore, et motibus pecuniae numeratae compararent. Omnes fere hâc in re vestigia pressêre ANTONII SERRAE, qui edito (1613) opere *de caussis, quibus fit, ut abundent aurum et argentum*, praeclara protulit de interno metallorum valore, deque mutabili pretio, quo in foris prostant. Nec tacuêre optimi *rei monetariae scriptores*, quum, per saec. 17um et inprimis 18i initio, permulti principes pro arbitrio abuterentur cudendorum nummorum jure; et minuto, imò dimidiato saepius pecuniae valore, pari stemmate deteriores emitterent nummos (2).

---

(1) SAY, *Hist. abr.* l. c. DE BOULAINVILLIERS, *Mémoires*, v. I, p. 77; II, pag. 22, 218 sqq. — *des Corps Politiques*, v. II, pag. 178 sqq. CONDILLAC, *le Commerce et le gouvernement.* — *Hist. de l'Econ. Pol. en Italie par le Comte* JOSEPH PECCHIO, *trad. par* LEONARD GALLOIS, (Paris 1830) introd. pag. 20. *Dict. de Commerce* (Hafniae 1781), v. *or.* Ad violandas leges prohibitorias incitabant tantae lucri illecebrae, ut frustra poenis saeviretur in delinquentes. GUYOT, ap. MERLIN, *rép.* v. *contrebande*, n°. I. Famosus ille MANDRIN (PHILIPPO regni procuratore) 50 millia subditorum habebat, qui, ipso duce, isto negotio victum quaererent.

(2) PECCHIO, *Hist. de l'écon. pol. en Italie*, pag. 20 docet, Italiam inde a CAROLO V ita gubernatam fuisse, ratione oeconomicâ, ut quodcumque, pessimum etiam, systema expetendum videretur. In COL-

Hujus quoque abusûs speciosas rationes quaesivêre imperantes, praetextâ causâ usi, parùm mercatoris referre, quantum metalli contineat nummus, dummodo totidem nummi in regione adsint, atque proportio servetur inter varios nummos. Quid refert, ita dicebant, utrùm nummus, qui *libra* vocatur, reverâ argenti pondo contineat, necne? dum *scutatus* semper aequipolleat sex *libris*, *libra* viginti *solidis*. Quisque nummus pariter ac antea valorem significabit.

Quamvis ex tali agendi ratione Franci gravia sensissent damna sub finem regni LUDOVICI XIV, et procuratore PHILIPPO; tamen dein principes (quos Itali *falsae monetae reos* nuncupabant) ingeniosum causae patronum nacti sunt MELONIUM, edito *specimine politico de mercaturâ* (1734), quem refellere studuêre GALIANI, ANT. BROGGIA (1743), plures Itali. Haec igitur controversia nuperrime agitata fuerat tempore, quo opus *de Legum ingenio* conscriberetur (1).

Latius etiam patere inceperat doctrina de divitiis, post emissas innumeras *actiones* argentariarum, et pecuniam chartaceam, ex quo foenerator MEDINA docuerat (1709), quantus opum fons exsistere posset ex alienatione aeris alieni publici; et minori cum successu LAW opes quaesiisset constituendâ Franciae argentariâ (1719) (2).

Interitus verò argentariae *Lawianae* universe in

BERTI actibus bona voluntas saltem cernebatur. De SERRÂ aliisque cf. idem ib. pag. 76, 132 sqq.

(1) Id. ib. pag. 104. GANILH, *des systèmes*, v. I, introd. pag. 66 sq. SAY, *Cours complet*, p. III, c. 6 (v. II, pag. 59).

(2) *E. d. L.* XXII. 17, 18. Cf. SCHLOSSER, *Gesch. d.* 18ten *Jahrh.* v. I, pag. 74. MARMONTEL, *Hist. de la régence*, ch. XX.

Franciâ odiosa reddiderat ejusmodi instituta, quae tamen tuebantur Itali et Angli.

Parùm autem ejus aevi scriptores videntur discrimen novisse inter *argentariam depositariam*, cujus rationem agendi apertam esse oportet, cujusque *actiones* semper nummis mutari possunt (quales erant Veneta et Amstelodamensis), et argentarias, quae, praeter mercaturae commoda, fisci inopiis aliquando succurrere debent, et chartaceam pecuniam creare (uti Londinensis et Francica) (1).

B.

An aequalium errores noverit MONTESQUIVIUS.

Patet ex his omnibus, disciplinae oeconomicae conditionem, tempore, quo conscribebatur MONTESQUIVII opus, miseram fuisse, quippe quae nomine, ordine, nexu careret; et in iis capitibus, de quibus omnes consentirent, notiones praevaluisse rerum naturae contrarias ac perniciosas. Eximiae igitur ingenii dotes esse debebant ei, qui disciplinam eam ita in artem redigeret, ut praejudicatae opiniones cederent sanae theoriae et experientiae praeceptis. Id fecêre post Auctorem N. suo quisque modo QUESNAY et SMITH.

---

(1) GANILH, *des systèmes*, l. V, c. 4 (v. II, pag. 160). Constat, LAWIUM imitari voluisse argentariam Londinensem. Explicat quidem GANILH, cur haec immota tam diu manserit (ib. pag. 169), quia scil. mercatorum Londinensium *fides* apud exteros non minuatur, etiamsi multò plures literae cambiales ab exteris Londini trassentur, quam ipsi ab exteris trassent: tum porro ob celerem motum pecuniae chartaçeae; attamen fatetur, eàm periclitari, si quando undique simul solvendae afferantur *obligationes;* uti hoc a. 1825 obtinuit. Anno demum VIII Consules Franciae argentariam depositariam instaurare ausi sunt,

Sunt tamen MONTESQUIVII etiam singularium observationum nonnullae, quae ostendant, ipsi a praejudicatis illis sententiis liberam fuisse mentem, et, quam novam quaesiverit viam.

Primo loco celebratum illud dictum occurrit: »Pauper non est, qui nihil dominio tenet, sed qui nil agit" (1). Fieri non potest, quin miremur, ita apud Auctorem inveniri placitum fundamentale doctrinae, quae postea ADAMI SMITHII nomine inclaruit. Ad probandam sententiam eam addit, cognitionem alicujus artificii aeque fontem esse redituum, atque pecuniae sortem aut agrum (qui ipse absque hominis labore fructûs non gignat); atque insuper, artem compluribus impertiri posse, singulis integram; agrum vel nummos ita tantùm, ut singuli parte gaudeant.

At, si reliquum legamus caput cit., apparebit, minime intellexisse MONTESQUIVIUM, quot quantaque exinde sequerentur, quum nihil ex enunciato deducat, nisi illud; homines multos esse in civitate, qui unice operâ suâ vivant, et civitatis esse eos alere, siquando minus idonei evaserint ad industriam suam exercendam, Probe; verùm majoris momenti fuisset effatum, si progressus foret dicendo: »labor igitur divites facit; labor mercibus valorem confert, etc." Contra alibi videtur adhaerere errori mercantilibus omnibus communi, puta, valorem unice pendere e rei copiâ vel egestate (2).

---

(1) *E. d. L.* XXIII. 29: »Un homme n'est pas riche, parce qu'il n'a rien, mais parce qu'il ne travaille pas."

(2) GANILH, *des systèmes*, l. V, c. 2 (v. II, pag. 25), tradit primùm huic opinioni adversatum Anglum GUILIELMUM PETTY (*treatise on taxes*) docentem, valorem mercium differre ratione temporis, per quod hominum labore opus fuerit ad eas conficiendas vel petendas. Huic

2°. Itèm alio loco (1) statuit, divitias fundis constare et rebus mobilibus, ibique pecuniam pariter cum vestibus, aliisque mercibus recenset. Hîc meliorem denuo viam invenisse videatur, quam decessores. Sed minus recte docet, opes, quae fundis insunt, immotas manere, augeri non posse, id igitur cuique populo agendum esse, ut mobilium quam plurima et pretiosissima habeat. Neque hoc difficile esse opinatur genti, cujùs solum et industria multum proferant; populus verò, qui paucis gaudeat rebus confectis, ipso judice, melius sibi consulet, si modico victu contentus paucis illis vivat, quam si aliunde petat res potius superfluas, quibus potiri nequeat, nisi alienatis rebus necessariis;

3°. Licet igitur observatis ipse suis non usus sit, ut facere oportuisset, tamen judicii acumen non ità MONTESQUIVIO hâc in re defuit, ut necubi vulgaris rationis agendi mendas perspexerit. Id reverâ patet ex ejus judicio de Hispaniae paupertate et pernicie ortâ ex aurifodinis; nec non de ineptiâ eorum, quae in Europâ ubivis statuta erant, ne singulis regionibus exirent metalla.

De Hispanis A. N. quaerit, quî fieri potuerit, ut ea gens, postquam sub CAROLO V apertae fuissent fodinae Americae, divitiarum fontes, inde a PHILIPPO II pauperior in dies evaserit (2).

Alii jam dixerant, hoc ideo accidisse, quod Hispani omnes opum fontes, quos domí haberent, neglexissent, colonias unice curantes. Id autem non sufficere arbi-

---

adhaesit SMITH, *on the Riches of nations* (1774), B. I, c. 5. Recentiores implicitam magis notionem de valoris origine et normâ tuiti sunt.

(1) *E. d. L.* XX. 23.

(2) *E. d. L.* XXI. 22. Coll. RAYNAL, *Hist. phil. et pol. des deux Indes*, T. III, l. VIII, c. 39.

tratus A. N. in ipso commercio, quod inter Hispaniam et colonias intercesserat, causas deterioris ejus conditionis quaesivit. Vidit enim, dum auri argentique copia augebatur, simul eorum valorem minui ratione aliarum mercium; quoties autem minueretur quantitas rerum, quas auri pondo sibi comparare possent Hispani in Europâ, toties augeri sumtûs, quibus opus esset, ut aliud rursus pondo e fodinis extraheretur. Ergo, quò plus metalli invenitur, eò vilius fiet in Europâ, eò pluris constabit in Americâ. Constat quidem, alias etiam causas fuisse inopiae illus Hispanorum, nempe coloniarum regimen, et sacerdotum myriadas tantis sumtibus locum dedisse, ut vix quicquam exinde perciperet resp., dum in ipsâ Iberiâ, populi industria pigritie, clero, tributis, latronibus deprimeretur (1).

Id verò observatum velim, apud MONTESQUIVIUM non apparere insanam illam auri pecuniaeve religionem, ac si his tantùmmodo acquirendis opes augeri possent.

Quod magis etiam perspicietur, siquis adtendat, quae Auctor dicit de lege quâdam hîc illic in Italiâ tunc vigente, ne quis civis bona immobilia in patriâ sita venderet, et cum nummis inde comparatis peregre migraret (1). Ibi enim non veretur statuere, incassum legi-

(1) RAYNAL, ib. l. VI, c. 14, de Mexicanâ provinciâ: »Les droits établis sur les marchandises, qui arrivent de Cadix et sur les mines, le vif argent, la capitation, les impôts, le domaine sont de si grands objets, qu'on ne peut revenir de sa surprise, quand on voit, que le monarque ne retire annuellement du Mexique, quoique la mieux administrée de ses possessions, qu'environ 6,300,000 livres" etc. Paulò supra tradiderat, in eâdem provinciâ reditum annuum episcopi Angeliensis esse 1,260,000 librarum.

(2) *E. d. L.* XXII. 15, coll. 14.

bus prohiberi metallorum evectionem, ex quo universe invaluerit usus literarum cambialium, quarum ope facilius magnae sortes peregre transferuntur, quam si nummi evehantur. Cambii autem libertatem coarctare, ne sic quoque migrarent sortes (uti suo tempore in Russiâ factum tradit) *despotismo congruum*, id est, *perniciosum* arbitratur. Itaque et inutile et noxium habuit omne statutum, quo nummi intra fines cohibeantur.

Mitto, quod de disciplinâ bene meruerit MONTESQUIVIUS, perspicue expositâ *cambii* naturâ et vario pretio (*cours du change*) (1), quippe in hisce parùm novi invenitur.

Verùm quum modo memoraverim duo hujus disciplinae argumenta, quae ante medium saec. praec. controversa erant, haud tacenda puto, quae de hisce praestitit Auctor;

4°. Igitur loco veniat MONTESQUIVII judicium de *nummis* et licentiâ eorum valoris minuendi (2). Bene ibi comparatum videtur ad MELONII sententiam eâ de re refellendam, effatum hocce, discrimen valoris inter nummos fictos et cusos nocere mercaturae, itaque multò melius acturos imperantes, si nummos ita cuderent, ut fictis pares essent, nec artificio quodam mutarent metalli valorem; porro, frustra publicâ auctoritate definiri nummorum pretium, quippe quod sponte mutetur prae copiâ vel egestate aliarum mercium, aut auri et argenti.

Quam sententiam tuetur, exemplo allato Nigrorum

---

(1) *E. d. L.* XXII., sq. coll. A. SMITH, op. cit., b. IV, c. 3.

(2) *E, d. L.* XXII. 1—8, 11—13. SAY, *Cours complet*, l. III, c. 6 (v. II, pag. 61 sqq.).

in oris Africae, qui *macutis*, id est, nummo mere conficto, aestiment omnia, atque ita stabilem habeant mensuram, quâ utantur in permutationibus absque ullo signo. Jam, inquit, si aestimatio per macutas recepta esset reliquis nationibus, quae nummis cusis utuntur, numerus macutarum, quibus aestimaretur certa pecuniae summa, perinde varius esset varias ob causas, ac numerus macutarum, quibus certa aestimaretur mercium quantitas (1).

5°. Nec minus falsis sententiis de naturâ pecuniae adversarium sese praestitit MONTESQUIVIUS, quum JCtorum plerorumque et theologorum omnium judicium de usurâ adoriretur (2).

Franciae enim omnes ferme curiae et parlamenta, usurarum stipulationem religioni contrariam existimantes, non solùm illicitam ipsam judicabant, et pro non scriptâ habendam; sed condictionem etiam indebiti concedebant, si quis ex tali pacto usuras solvisset. Hunc fori usum, jampridem receptum in omnibus provinciis juris consuetudinarii, ubivis sanciverat LUDOVICUS XIV, edicto Sept. 1679. Soli Lothariae et Navarrae Francicae incolae licentiam foenerandi ex antiquis suis legibus retinuerant. Attamen vel illic clerus damnavit eas stipulationes, adeo ut a. 1702 Tulli Leucorum palam cremari curaverit episcopus scriptum causarum patroni cujusdam GUINET, quo ipsas tueretur. Postea autem, quod mentione dignum videtur, et To-

---

(1) *E. d. L.* l. c. 8. De macutis, quas Franci *pièces* vocare solent cf. RAYNAL, *Hist. phil.*, v. IV, l. XI, c. 23. *Dict. de commerce* v. *pièce*.

(2) *E. d. L.* XXII. 19—22. *Défense de l'E. d. L.* p. II, c. *usure*,

losae et *Burdigalae parlamenta* ita duritiem edicti memorati perspexêre, ut permiserint, usuras a debitore exigi, quamprimùm eum in morâ constituisset creditor, vel etiam dummodo de debito monuisset (1).

Regula igitur universe invalebat, *nummus nummum non parit;* at paucis verbis docuit MONTESQUIVIUS, sortem sub formâ pecuniae aeque novis divitiis acquirendis inservire posse, ac sortem, quae agro vel domo contineatur; igitur pari aequitate utriusque mercedem postulari, imò meram esse munificentiam, nequâquam lege sanciendam, si quis gratis usum nummorum concedat. Neque etiam ullius efficaciae esse leges contra usuras contendit; quoniam egestas semper cogit multos, ut foenus majus minusve polliceantur, et illud etiam augetur, quò minor evadit securitas ejus, qui mutuum dat. Hinc etiam sponte patebat, leges istas male sibi constare, quod eaedem *foenus terrestre* vetarent, *nauticum* licitum haberent. Facile enim ostenditur utriusque causas esse easdem, puta commodum, quo per aliquod tempus privatur creditor, et periculum amittendae sortis. De patriâ suâ nominatim non loquitur illo loco, sed Turcarum et Romanorum exemplis demonstrat, auctos esse foeneratorum abusûs

(1) GUIJOT ap. MERLIN, *rép.* v. *intérêt,* § III, n°. 2: »Le parlement de Bordeaux ne permet pas non plus directement la stipulation des intérêts; mais il les fait courir en vertu d'un simple commandemens ou sommation sans demande judiciaire." Cf. ib. n°. 1, 4, 5. Ex *Déf.* l. c. patet, ecclesiasticos Auctoris Criticos adeo juris ignaros fuisse, ut ipsi vitio verterint, quod causas explicuerit *foeneris nautici.* Hoc tamen nullâ unquam lege in Franciâ vetitum fuerat. v. MERLIN, *rép.* v. *grosse aventure,* n°. I.

dum leges semper restringebant aut tollere volebant usuras (1);

6°. Nec de *argentariis* veritus est A. N. sententiam suam proferre, licet vulgari opinioni contrariam, quippe quâ tunc omnia ejus generis instituta odio haberentur. Vidit autem, aptissimas esse argentarias, ut celerrime solvantur nummorum summae; verùm iis esse debere certam sortem, minime nullis finibus adstrictam fidem, nec unquam cogendas esse ad auxilia imperantibus ferenda.

Hanc ob causam ait, facilius servari posse institutum illud in liberâ republicâ, quam sub principis regimine, dum ne pecuniam sibi creditam fisco mutuam det. Hinc ostendit, LAWII *systema* potius ratione, quâ exsecutioni mandatum fuerit, quam rei ipsius vitio, bono eventu caruisse. Probe item perspexit MONTESQUIVIUS varia proposita, quibus conditae erant complures tunc celeberrimae argentariae. Sic e. g. Genuensem, seu *Sti Georgii argentariam*, acute a reliquis distinguit, *politicum* esse dicens *institutum*. Haec enim quum semel obligationem suscepisset aeris alieni publici solvendi e reditibus domaniorum, quibus Senatus ipsam donaverat (1345), et pecuniis civium creditis et commodis mercantium unâ prospiciebat, nec unquam ausi sunt Genuae imperantes sortem hujus argentariae contrectare (2).

Haec ferme sunt, quae arguant, MONTESQUIVIUM suâ ratione quaestiones oeconomicas explicuisse, diversâ

---

(1) Cf. SAY, *Cours complét*, l. V, c. XIV–XVII (v. III, p. 97 sq.).

(2) *E. d. L.* II. 3; XX. 10, 11; XXII. 10, 16. GANILH, *des systèmes*, l. V, c. 4 (v. II, pag. 160 sqq.).

illâ a doctrinis mercantilium priorum. Videamus, cur tamen non tantum praestiterit de hâc scientiâ universe, quantum haecce polliceri viderentur.

C.

MONTESQUIVII *errores oeconomici.*

Errorum, de quibus jam agendum est, causa mihi fuisse videtur, quod MONTESQUIVIUS Oec. politicam nunquam ceu peculiarem disciplinam habuerit, sed tanquam partem legum ferendarum scientiae, curae aediliciae vel administrandi fisci. Ut verbo dicam, quod confuderit *politicam artem* et *oeconomiam politicam.*

At verò complures sunt scriptores, qui vetent, quominus talem confusionem detrimento cedere existimemus, uti physiocratiae sectatores et alii, qui egregia oeconomiae systemata cognoverint quidem, attamen nolint, eam sejunctam a reliquis doctrinis politicis excoli (1). Namque, ita ferunt, reverâ *ars gubernandi gentes*

---

(1) DUPONT in *Physiocratie,* v. I (*disc. prélim.*), pag. 15, 27, 58: »Si les princes s'appliquaient à la physiocratie, ils acquerraient d'abord une juste connaissance de leurs devoirs et de leurs droits." v. Id. ib. I (*Avis* etc.), pag. 84 sqq.; III (*sur l'origine d'une science nouvelle*), pag. 12. GANILH, *des systèmes*, v. I (*sujet et division*), pag. *xxij* sqq.; ubi de oeconomiâ loquens: »Ses principes," inquit, »sa théorie, sa doctrine *se mêlent, se confondent, s'identifient* avec les principes, la théorie et la doctrine de la législation politique et civile, et réagissent les uns sur les autres, etc." Fatendum est, grammatice recte loqui eos, qui oeconomiam politicam partem vocant politicae disciplinae universe; at hujus objecta vix alia habentur quam imperantium actûs, illa totius societatis humanae conditionem explorat, unde non inepte SAY, *Cours complet*, introd. princ. monet, eam potius dici oportuisse *oeconomiam socialem.*

est oeconomia politica (haec verba sunt DUPONTII *Nemosiensis*); imperia adsunt, ut civium felicitatem promoveant, actûs imperantium igitur eò tendant oportet, ut divitiae augeantur; porro, quoties miseriâ premitur populus, toties de regimine patriae suae queri incipit, vel saltem ab illo finem malorum sperat. Tandem sunt qui dicant, parùm referre, utrùm reliqui societatis ordines scientiam divitiarum edocti sint, necne, dummodo suam quisque artem nôrint cives, et quo pacto eâ exercendâ optime sibi prospiciant; universas regulas de opibus, de productione, de industriae generibus utilibus vel noxiis, noscant et adhibeant illi, qui civitati praesunt (1).

His verò non assentiendum videtur; talis enim est oeconomia politica ut continuis experimentis et observationibus niti debeat, circa causas naturales opum auctarum vel minutarum; qui illam excolendam et docendam sibi sumit disciplinam, nequit confestim decernere, unde singula beneficia exspectanda sint, utrùm ab imperante, ab hujus illiusve industriae peritis, an verò a rerum naturâ sibi relictâ. Id saepius repetitâ experientiâ doceri oportet. Sin autem cum gubernandi arte confundatur oeconomia, alterutrum accidet, ut aut negligantur ea argumenta, de quibus nondum constat, an

(1) Objicietur forte, opiniones illas de imperantium continuâ actione, quas physiocratis tribuo, parùm convenire noto ipsorum effato: »Laissez faire et laissez passer." Verùm teneatur, GOURNAYUM, primum hujusce placiti auctorem, unice de mercaturâ ita locutum esse, quam fontem divitiarum esse negabat ex QUESNAIJI sententiâ. v. *Physiocratie*, v. V, pag. 191 coll. II, dial. I *sur le commerce.* Cf. MERCIER, *l'ordre naturel et essentiel des sociétés politiques* (Paris 1765); cit. ap. SAY, *Hist. abr.* Epoque IIIme (*Cours*, v. IV, pag. 282).

imperantis ope aliquid effici possit, aut temere executioni mandentur quaecumque scriptores expetenda esse docuerint (1).

At, inquiunt adversarii, quid opus est, ut privati homines oeconomiae politicae addiscendae operam navent? Imò jam satis docuêre praeclara nostri aevi scripta oeconomica, quantopere omnigenis hominibus prodesse possit. Saepissime omnibus numeris absoluta cognitio eorum, quae ad munus industriamve suam pertineant, haud sufficit homini privato, ut sibi et aliis prodesse possit recte adhibitis mentis facultatibus. Valorum naturam, divitiarum causas, rationem, quâ sortes congerantur, causas, quibus tribuendum hujus illiusve industriae lucrum, societatis humanae indolem et desideria cognoscere, necessarium ipsi est, ut ab inutilibus et noxiis negotiis suscipiendis sibi caveat. Ita reverâ utilior evadit divitiarum scientia, quam si cum gubernandi arte in unam coalescat.

Procul abfuit MONTESQUIVIUS ab hujusmodi sententiis.

1.

Etenim, quam primùm quaestionem oeconomicam agitandam suscipit, ejus solutionem variam esse ait pro vario cujusque regionis jure publico. De *luxu* scilicet

(1) Sic Ægypti dynastam protegendo industriam suae regionis pessumdare, ait SAY, *Cours complet*, v. I, *consid. générales*, pag. 30 sqq. Addi possit exemplum FRIDERICI GUILIELMI I, qui utilius Borussis fore existimans, si lanâ et lino, quam gossypio uterentur, duris legibus eâ de re latis multos miseriâ adflixit; item Electoris MAXIMILIANI JOSEPHI, qui Bavaros vi cogere vellet, ut bombycium culturae operam impenderent. SCHLOSSER, *Gesch. d. 18ten Jahrh.* v. I, pag. 232 sqq.; II, pag. 234.

judicaturum se dicit, ratione habitâ formae regiminis; nec perspicit, quam infirmo vinculo haec duo cohaereant (1). Nec etiam validas exhibet rationes pro sententiâ suâ, luxum cohibendum esse in populari regimine, item in aristocratico moderandum; verùm monarchiae et despoticae formae prodesse.

Luxum enim haberi perhibet, quoties homines sibi comparant res consumendas praeter illud, quo indigent. Hoc autem varium accidit pro diversâ conditione societatis, ita ut hodiernis populis res summae necessitatis videantur complures, quarum usum adeo ignorarent majores. Non expresse dicit, qualem conditionem hîc intelligat A. N.; verùm, quoniam asserit, inter homines illos luxu carentes plenam bonorum aequalitatem fore, puto, eum designare voluisse rudem illam societatem ichthyophagarum vel sylvestrium gentium; nam simulac ex harum statu emergit genus humanum, incipiunt nonnulli plura sibi comparare, quam quibus pridem indigebant, et exsistit inaequalitas.

Potuisset certe MONTESQUIVIUS definitionem dare, unde melius patefieret, quos homines luxui deditos existimaret, quosque minus; verùm tot de luxu definiendo sententiae recensentur, quot scriptores oeconomici. Itaque hoc vitio verti nequit A. Nostro. Sive autem superflua omnia ad luxum referas, sive omnia artificum ope elaborata, sive quae merae voluptatis sunt, semper id constabit, ubi magnus est luxus, ibi *improductivos sumtûs* frequentes fore. Recte animadvertêrunt quidam, ex ipsâ sumtuum naturâ, quas quis facit, de ejus

---

(1) *E. d. L.* VII passim. DESTUTT DE TRACY, *Comm.* (v. G), I, pag. 133 sqq.

luxu judicari non posse. Res enim futilissimae, mere ad ornatum comparatae, si emuntur aut conficiuntur ab hominibus, qui inde victum quaerunt, non sumtûs luxuriosos faciunt illi, sed suâ sorte *productive* utuntur. Idem dici potest de expensis apparatûs causâ, ad quas faciendas ex officio vel consuetudine obligatus est aliquis illustri munere honoratus.

Attamen civitas ea, ubi victum reperiunt multi nugarum confectores, ubi e moribus receptis ad steriles expensas coguntur, quicumque excelsum in rep. locum teneant, procul dubio plurimùm luxu laborat, et constat, complures ibi ultra reditûs suos consumere (1). Hinc necessariò divitiae minuentur, quum eò minus sortis et operae impendatur rebus utilibus conficiendis, quarum copia non adeo consumentium, quam producentium numero coärctatur.

A. N. autem, simulac, qualemcumque tandem, luxûs definitionem dederit, sermonem agit de diversis regiminibus luxûs ratione. Si verò diutius luxûs naturae universe explicandae inhaesisset, aliter certe ratiocinatus fuisset. Hâc demum rite intellectâ, cùm quod ad privatos, tùm quod ad civitatem, de ejus effectibus disputari potest; minime autem, si indistincte rerum superfluarum copia luxûs criterium vocetur, uti apud MONTESQUIVIUM legimus (2).

---

(1) SAY, *Cours complet*, l. VII, c. 11 (v. III, pag. 314 sqq.). DESTUTT DE TRACY, *Comm.* l. c. pag. 137. GANILH, *des systèmes*, l. VI, c. 2 (v. II, pag. 438).

(2) *E. d. L.* VII. 1. Varias de luxu definiendo sententias v. apud v. cons. A. E. PENNING, *Diss. de luxu et legibus sumtuariis ex oec. pol. dijudicandis* (Lugd. Bat. 1826), pag. 7 sqq. — de nimiis sumtibus ib. pag. 73 sqq.

Prodierat autem initio saeculi et magnâ diu famâ valuit elegans philosophi Anglici MANDEVILLE scriptio quaedam, quâ vitiorum, luxûs et vanitatis utilitatem praedicaret, doceretque, iis niti totius societatis recentioris prosperitatem (1).

Hujus speciosis sententiis seduci se passus Auctor N. eam esse credidit Europae gentium conditionem, ut magna pars hominum unice posset vitam sustentare inanibus et superfluis negotiis conficiendis (2).

---

(1) Notissimo opusculo titulus est *Fable of the Bees, or Private Vices Public Benefits*, primùm ed. Londini 1706, et cum fusis animadv. ib. 1714. Notandi pag. 9 versiculi:

»Luxury
Employ'd a Million of the Poor,
And odious Pride a Million more;
Envy itself and Vanity
Were ministers of Industry;
Their darling Folly, Ficklenefs
In Diet, Furniture and Drefs,
That strange ridic'lous Vice, was made
The very Wheel, that turn'd the Trade."

ad quem locum v. *Remark F*, pag. 61. — Epilogus ita desinit:

»*Bare virtue* can't make Nations live
In splendour; they that would revive
A golden age, must be as free
For acorns, as for Honesty."

Imperfectas utique de divitiis notiones prodit poëta, *Remark* L et M, pag. 82—110. Ea quae (*Remark* Q, pag. 180) de *honore* ait, conferri merentur cum MONTESQUIVII de eo placitis.

(2) *E. d. L.* XIX. 8. 9. Cf. VAN ENGELEN, *Brieven over de Weelde* (Haarlem 1791). D. II, br. 27. Quomodo MONTESQUIVIO assentirent plerique aequalium v. ap. PENNING, diss. cit. pag. 54, qui citat VOLTARII *Défense du Mondain*, maxime haec:

Hinc placitum illud: »quò magis impendatur mutandis et ornandis vestibus ac suppellectili, eò magis augeri divitiarum fontes." *Vanitatem* autem, harum expensarum momentum, quum eximiam apud Francos cerneret, soleret autem, quodcumque Franciae esset, monarchiae in genere tribuere, mirum quendam nexum invenit inter societatem luxui deditam et unius regimen, ut haec duo semper pari passu procederent. Eandem sententiam de luxûs utilitate, quod ad Veteres, tueri non poterat Auctor, nam omnes classicos velut unâ clamitantes audierat, pessum ivisse *virtutem*, ex quo luxûs artes in civitates antiquas irrepserint. Hinc de populari regimine et aristocratico in alia omnia ivit.

Variis quoque exemplis demonstravit, nimiam nugarum aestimationem nocuisse Romanorum libertati, ac viam stravisse CAESARIBUS ad tyrannidem; verùm aeque impedivit luxus ille, quominus sub Imperatoribus, rebus secundis gauderet populus, quippe qui operâ suâ ne frumentum quidem sibi comparare posset (1).

»Sachez surtout, que le luxe enrichit
Un grand Etat, s'il en perd un petit.
Cette splendeur, cette pompe mondaine
D'un règne heureux est la marque certaine;
— — — — — — — — — —
Le goût du luxe entre dans tous les rangs;
Le pauvre vit des vanités des grands;
Et le travail, gagé par la mollesse,
S'ouvre à pas lents la route à la richesse."

(1) *E. d. L.* VII. 2, 11 sqq. Si consultò divitiarum scientiam adtendisset, non haec dixisset c. 3: »Les bonnes républiques avaient des institutions *admirables*. Les riches employaient leur argent en fêtes, en chariots, en choeurs de musique, en chevaux pour la course, en magistratures onéreuses. Les richesses y étaient aussi à charge, que la

Erroneis igitur de luxûs naturâ et efficaciâ notionibus ansam praebuit illa oeconomiae et prudentiae politicae confusio. Neque hîc subsistit.

Eodem loco, ubi arctum adeo vinculum esse statuit inter rerum superfluarum copiam et formam regiminis, de legibus sumtuariis ita loquitur, ac si reverâ legumlatoris et imperantis esset, de mercibus conficiendis et consumendis lege statuere. Quod tamen magno sine detrimento fieri nequit; nec unquam ita statuentibus bene cessit, exceptis Lacedaemoniorum legibus, quibus omnis tollebatur industria, adeo ut fortunatâ reipublicae conditione sibi partâ gloriarentur, quam reliqui populi ceu ultimam miseriam timerent. Ceteroqui semper, brevi postquam latae essent, impune violari coeptae sunt leges sumtuariae. Quid? quod, etiamsi iis obsequerentur cives, plurimi tamen essent, qui ultra vires expenderent, vel novis inventis, quae non praevidisset lex, sortem suam dilapidarent. Montesquivius in monarchiis noxias existimat leges sumtuarias, quia luxui ibi potius favendum videatur. Universe verò id probat, quod improbandum fuisset, puta, imperantium curam ad sumtûs privatorum extendi (1).

2.

Multâ porro eruditione multoque labore usus est Auctor, ut *mercaturae*, seu potius navigationis apud

---

pauvreté." Namque onera illa, quibus e. g. Athenis divites omnes premerentur, impediebant, quominus sortes suas opibus producendis impendere libere possent. V. inprimis Xenophon, *Oec.* c. II. § 5—7.

(1) Cf. Say, *Cours complet,* p. VII, c. 12 (v. III, pag. 310). Destutt de Tracy, *Comm.* I, pag. 166 sqq. *E. d. L.* VII. 2, 5. Penning, diss. cit. pag. 17, 93 sqq.

antiquos et recentiores, fata et varias rationes exponeret. Hîc tamen item in errores abduci sese passus est; quippe deerat ei clara oeconomicae disciplinae notio. Mercaturam enim haud intuetur unâ cum reliquis modis opes sibi comparandi; nec de causâ quaerit, cur mercatoris operâ locupletior evadat societas, quamvis primo obtutu valorem creare non videatur, etc.

Duplici respectu de mercaturâ agit: *morum* scilicet et *regiminis*. Quod ad ejus sententiam, mores populorum mercantium cultiores esse solere, illosque emendari per id, quod vocat *mercaturae ingenium*, nemo dubitat, quin recte viderit Auctor (1).

Regiminis verò formis nimiùm tribuitur. Nam liberis rebuspublicis noxium esse pronunciaverat luxum; jam, quum mercatura semper fere eò tendat, ut adferantur hominibus commoda quaedam, praeter illa, quibus naturâ suâ indigeant, animadverteret verò Auctor, cùm antiquas, tùm recentiores civitates democraticas et aristocraticas mercaturâ floruisse, vix concilianda haec videbantur. Eum in finem duo esse docet mercaturae genera, quorum altero luxui deditae evadant gentes, alterum isto periculo vacet. Illam Francice nuncupat *commerce de luxe*, hanc *commerce d'économie*, quâ voce hoc loco *parsimoniam* designat (2).

Mercatura luxuriosa monarchiis propria eò inserviat, ut aliunde conquirantur, domi revendantur vitae commoda et ornamenta; qui parsimoniâ utuntur mercatores, victum sibi quaerant ex illis lucri particulis, quae

(1) *E. d. L.* XX. 1, 2, 15, 16.

(2) *E. d. L.* V. 6; XX. 4. DESTUTT DE TRACY, *Comm.* (v. G.) II pag. 121.

vectoribus mercium accidere soleant, necnon e diversitate pretii in variis foris. Parsimoniae enim nomine illam mercaturam designat, quae constat emendis mercibus in foro extraneo, revendendis in alio foro, ubi desiderantur (*commerce de transport*). Claudicat autem MONTESQUIVII distinctio; nam

1°. Mercaturae, quae *luxui* inserviat, criterium, si eum audias, est: »ipsius ope superfluas advehi merces;" jam alteram speciem item mercium qualitate discerni oporteret, verùm in hâc definiendâ unice ejus agendae rationem spectat;

2°. Plurimae aliae sunt mercandi formae, uti mercatura interna, tabernaria, coëmtorum, evectionis causâ, quas non tetigit (1).

Praeterea e distinctione suâ sequi existimat MONTESQUIVIUS, quaecumque instituta mercatoria civitatibus liberis utilia apparerent, ea haud convenire monarchiis. Item inde, quod parvo lucro saepe contenti esse deberent mercatores illi *parsimoniâ* utentes, eò procedit, ut perhibeat, ipsos absque detrimento agere posse mercaturam vel navigationem adeo damnosam, ut lucrum expensas non superet.

Exemplo adfert balaenarum piscationem, quam ait saepe exercitoribus navium nulli lucro cedere, verùm tunc tamen prodesse civitati, quoniam lucrum semper capiunt illi, qui navium armamenta praebuerunt. Hi autem quum iidem esse solerent atque exercitores aut eorum socii, damnum lucro compensatum foret. Verùm quis dubitet, si solerent sumtûs nullum lucrum proferre,

(1) DESTUTT, ib. pag. 125. SAY, *Cours complet*, p. II, c. XIV (v. I, pag. 386).

mox fore, ut exercitores a negotio integro abstinerent? Id fatendum est, ipsos majores nostros, MONTESQUIVII tempore, balaenarum piscationem sponsionis instar habuisse, quâ pecuniam committerent de navigiorum felici reditu; eamque sponsionem satis periculosam, nam, nisi singulae naves plus quam tria aut quatuor cete (135 dolia pinguedinis) nactae essent, nullum lucrum percipiebant socii. At neque deerant exempla piscationum, quibus singulae naves duodecim cete reportassent. Ceterùm ratio, quâ sese imprimis commendabat hoc industriae genus Ordinibus Belgii foederati, aeque falsa erat ac ea, quam MONTESQUIVIUS adtulit; nempe id urgebatur, ad naves instruendas emenda esse bene multa in patriâ nostrâ confecta, proventûs verò piscationis extere plerùmque vendi, itaque damno cedere illam non posse (1).

Parvi igitur momenti sunt, quae dein MONTESQUIVIUS addit in laudem *mercaturae* illius *parsimoniae*, nec non monita ceteroquin utilia de portubus aperiundis in favorem earum gentium, quae parvo lucro contentae, ita merces transveherent (quales erant Veneti et nostrates), ne postea eaedem merces emendae essent a nationibus *mercaturâ luxuriosâ* utentibus, quae majus pretium exigerent (2).

(1) *E. d. L.* XX. 6. *Tegenw. Staat van alle Volkeren*, D. XI (Amst. 1739), pag. 599: »Men mag met reden in twijfel trekken, of deze Visscherij in 't algemeen den Reederen voordeel of schade aanbrenge. Men schijnt dezelve veeleer als eene Loterij te moeten aanmerken, in welke sommigen een' hoogen prijs trekken." Ib. pag. 600—610. V. *Dict. de Commerce*, v. *baleine*. Docuit eventus, piscationem eam reverâ damno cedere exercitoribus, qui tandem ab eâ destitêre.

(2) *E. d. L.* XX. 8—11.

3.

Parvi haec facienda, inquam, quum universe *mercaturam liberam non tuitus* sit Auctor.

Perhibet enim, maximam libertatem, quae mercaturae expediat, haberi in Angliâ, ubi tunc prorsus vigebat mercantilis ratio. Fatetur quidem, duris legibus prohibitas esse merces Americanas, lanae evectionem et quae porro continerentur *actu navigationis* a. 1651. Verùm existimat, tales leges molestas quidem esse mercatoribus, ipsam verò mercaturam earum ope extendi et liberiorem fieri. Mercaturae libertatem porro vocat, quod in Angliâ minoribus opus sit formulis, ubi portoria solvenda sunt, quam in Franciâ, cujus discriminis hanc esse causam existimat, quod portitores illic subsint imperanti ipsi, in Franciâ publicanis (1).

Non melius, quam mercaturae causam egit, ad tuenda populi commoda per industriam fabrilem et agrorum culturam provocat MONTESQUIVIUS imperantium curam, praemiorum et honorum ope, quae tribuenda fore pronunciat ei, cujus ager vel officina optimos proventûs tulerit. Severius tamen paululùm hunc locum adortus videtur SAYUS; Auctor enim ibi locutus est maxime de honorificis praemiis, quorum usum penes Hispanos, Lusitanos, Neapolitanos commendavit, pigra hominum genera, simulque gloriae cupidissima, qui fortasse sic melius excitarentur ad necessarios labores, quam quidem spe lucri (2).

---

(1) *E. d. L.* XX. 7, 13, 12. De mercaturae libertate penes Anglos cf. SAY, *Cours complet,* p. IV, c. 20 (v. II, pag. 368).

(2) SAY, ib. pag. 365. *E. d. L.* XIV. 9.

4.

Porro censuram meruit cura, quam commendavit Auctor, ne laborum fructu carerent opifices; scilicet, ut opera potius hominum manu fierent, quam *machinarum* ope. Harum utram speciem intelligat, non liquet. Aliis nimirùm perficitur, quod secus humanas vires excederet, aliis celerius fit, quod lentius hominum labore fieret. Quò referamus *molas aquarias?* has enim unice exempli causâ citat. Res eòdem ferme redit, nam si hominum manibus merx, de quâ agitur, confici nequeat, vel eâ careat oportet integra societas vel certâ ejus formâ; sin majori pretio, minori copiâ idem fiat, magna pars societatis eodem beneficio carebit.

Cardo quaestionis in eo versatur, utrùm pars major consumentium (ejus mercis) debeat copiae et minoris pretii commodum amittere in favorem operariorum, quos machinarum usus victu privaret? Affirmando respondit MONTESQUIVIUS, quam sententiam, multis annis post, amplexus est celeberrimus SISMONDIUS; refutare studuêre plerique recentiorum scriptorum (1).

Auctoris N. ratiocinium (de quo hîc agendum) eò redit: res jam dudum hominum manibus confici solitas eo constare pretio, quod aeque conducat consumentibus (hi nimirùm alioqui non tanti emerent) et opificibus. Quid igitur juvat, mercem machinarum ope viliorem reddi, quum consumens absque detrimento

(1) *E. d. L.* XXIII. 15. DE SISMONDI, *Nouveaux principes*, l. IV, c. 8. HERRENSCHWAND, *sur les causes de la population*, cit. et refutati ap. GANILH, *des systèmes*, l. II, c. 4 (v. I, pag. 201 sqq.). SAY, *Cours complet*, p. I, c. 18 et 19 (v. I, pag. 229, 250). *Lettre IV à M.* MALTHUS (*Mélanges et Corr.*), pag. 188.

emere possit priori pretio, damnum verò confestim sentiant operarii? — Respondendum videtur. Tantùm juvat usus molae alîusve machinae, quantùm instrumenti fabrilis cujuscumque, quo expeditius merces producantur. Neque spernendum est commodum consumentibus oriundum ex usu machinarum. Etenim nullum hucusque mercium genus breviori tempore, minori operâ quam antea, ita confici coeptum est, quin, minuto pretio et auctâ copiâ, mox increverit consumentium numerus, ita ut complures eam sibi compararent, quibus antea defuerat. De illis taceam, qui tamen hanc mercem emere solerent, quod jam majorem sortem novis rebus producendis impendere possent.

Insuper SAYUS aliique machinarum usum, ratione habitâ consumentium, tuiti, ostendêrunt, ipsorum operariorum damno eas nequâquam cedere. Multae enim merces, *statim* post adhibitas machinas, tantâ copiâ confectae sunt et adeo vili pretio veniêre, ut in immensum creverit cupido eas emendi. Inopiâ autem consumentes laborare, haud passi sunt officinarum domini; auctae sunt illae; novae complures surrexêre; tandem numerus operariorum iisdem mercibus conficiendis adhibitorum aliquot millibus auctus apparuit (1).

Restat igitur primum illud temporis spatium post receptas machinas, quod machinarum adversarii reformidant ob cessantem operariorum mercedem. Plerùm-

---

(1) Cf. v. cons. D. A. PORTIELJE, diss. inaug. *de quaestione an fieri possit, ut tot res novae conficiantur, ut vendi amplius non possint,* (Amst. 1834), c. II. § 3 et 4; c. III. § 2, et quos ibi citat. GROSLEY, in ep. cit. MONTESQUIVIO objecit, siquando tollerentur molae aliaque similia, multò plures operarios victu carituros fore, quam per inventum eorum usum acciderat.

que brevissimum futurum est illud, saepe nunquam difficultas exsistit.

Sic e. g. machina adhiberi coeperit ad lanas pectendas, ita comparata, ut decies major lanae copia pectatur per idem tempus eodemque numero operariorum, quam id antea manibus fieri soleret. Errant, qui dicant, jam officinae dominum decimâ tantùm operariorum parte usurum. Contrà, quam primùm sciat multò facilius ita lanam pecti posse, non eò tendet, ut tantundem producat, quantum antea, sed duplicem vel majorem etiam ejusdem copiam. Itaque saltem quinta, nonnumquam dimidia pars priorum operariorum in officinâ manebit. Ad conficiendas servandasque machinas, ad exstruenda aedificia, statim sese illuc conferunt fabri ferrarii, aerarii, tignarii, tectores, architectae, quibus mox opus est multis operariis, qui antea lanam pexuerant; ac siqui ad nullum aliud opificium idonei sint, tamen usu venient, ut novam illam molem lanae rudis afferant in officinam; nec non vectoribus opus erit aquâ terrâve ad lanam confectam asportandam.

Sic casu proposito paucissimi supererunt operarii, qui victu careant, donec nova ejusdem generis officina prope veterem exsistat, quod mox accidere solet. Ita vanus apparet apud Auctorem N. machinarum timor. Quae autem praeterea adversus machinas dixerunt SISMONDIUS et MALTHUS, huc non pertinent.

5.

Ultimo loco accedendum ad ea, quae MONTESQUIVIUS de *tributis* scripto condidit, ubi eò magis dolendum est, ipsum latuisse veros fines oeconomiae politicae, quò magis egregia placita initio libri (XIII) proferat. In-

cipit nempe refellendà eorum sententiâ, qui, ex paupertate quorundam tractuum tributis exemtorum, probare conarentur, ipsa onera utilia esse divitiis. At licet verum sit, quod asserit, non satis illud demonstravit; nec explicuit, quî tributa damno cederent singulis industriae formis (1).

In reliquis capitibus cernitur quidem laudabilis sollicitudo, ne ultra necessitatem, aut, quod pejus est, ultra vires, subditi ab imperantibus onerentur, verùm ampla expositio desideratur damni et commodi, quo se commendet aut odiosa fiat unaquaeque tributorum species. Harum tres tantùm nominatim citat, censum capitalem, tributum de fundis perceptum, et vectigalia. Quibus postea addit onera actibus jurisdictionis voluntariae imposita; omissis iis, quae percipiuntur ex aedificiis, e reditibus aeris alieni publici, et muneribus (*patentes*) (2).

De singulis, quae citat, unice quaerit, quodnam tributi genus minori invidiâ solvatur, monens item, ne graventur onera eum in modum, ut industriae species aliqua prorsus intereat. Attamen ea, quae Francia hoc ipso tempore e

---

(1) *E. d. L.* XIII. 2. Ait DESTUTT DE TRACY, *Comm.* v. II, pr. physiocratarum sententiae adversatum MONTESQUIVIUM fuisse, qui, quum essent agriculturae acerrimi vindices, fundos tamen solos tributo gravari vellent. At falli videtur. Physiocratae enim ideo volebant, omnia tributa de fundis unice percipi, quia perhiberent, solam agrorum culturam reverâ divitias parere. Itaque, ex ipsorum sententiâ, eòdem redit, cui merci vel labori imponatur onus; semper in agriculturam, divitiarum fontem, damnum redundabit. Quum autem perceptionem tributorum de fundis simplicissime fieri putarent, hanc unicam commendabant. Cf. *Physiocratie*, v. III. *lettres d'un citoyen à un magistrat*, pag. 69 sqq.

(2) V. *E. d. L.* XIII. 7—9, coll. DESTUTT DE TRACY, *Comm.* v. II, pag. 11 sq.

male gestâ re pecuniariâ patiebatur damna, ita nocebant ejus prosperitati, ut singularem disquisitionem omnino meruissent. Proxime enim ante opus *de Legum Ingenio* editum (1747, 1748) intra paucos menses, haec deinceps remedia fisci exhausti usu venerant: omnia alimenta, excepto pane et farre, onerata 4 solidis de quâque librâ (20 p. c.); debita publica contracta ad millionem et ducenta millia librarum; fieri jussae sortes (*loterie*) ad triginta milliones; decem milliones extorti Societati Indicae, pro monopolio herbae Nicotianae, quod jam pridem tenuerat; tandem nova onera excogitata sunt, imposita sigillis, chartae papyraceae, saponi et hereditatibus (1).

Quum ita populum vexari animadverteret MONTESQUIVIUS, necnon rationem cognosceret, quâ reditibus publicis uterentur aulici, spem amisisse videtur, unquam fore, ut imperantes reverâ hâc in re commodis populi consulerent; et felicem praedicavit patriam, dum ministri, nova tributa denuo imposituri, tantum sumerent, quantum ferre demum posset populus. Hinc etiam tributorum rationem in monarchiis brevissime exposuit; fusius disseruit de regionibus, ubi varii generis servitus et alia colonorum conditio, quam in Franciâ, vigeret; tùm porro despoticae et liberae reip. formae, quod ad tributa, discrimine investigato, regulam universe statuit: *Eò majora ferri tributa posse et debere, quò major sit libertas civium.* Quam sententiam suâ aetate probabiliter tueri poterat Auctor; hodie autem eam evertunt Americae Foederatae libertas et levia onera (2).

---

(1) SCHLOSSER, *Gesch. d. 18ten Jahrhunderts*, v. II, pag. 185.

(2) *E. d. L.* XIII. 1, 3—6, 10—15. *Miss* MARTINEAU, *Society in America*, ch. I. SAY, *Cours complet*, p. VIII. c. 2 (v. IV, p. 69).

Denique acriter in publicanorum institutum invectus, exposuit, quam odiosum et invisum esset hominum id genus; quantùmque politicae prudentiae repugnaret, iis cogendi potestatem tribuere; contra, si a regiis officiariis administrarentur fiscalia, populum exspectaturum fore boni patrisfamilias' instar gestionem. Morum autem potius, quam divitiarum causâ, hanc rationem vectigalia percipiendi improbavit (1).

D.

De MONTESQUIVII *oeconomicis placitis, ratione habitâ systematis physiocratici.*

Otiosa prorsus videatur comparatio inter MONTESQUIVII sententias modò memoratas, et doctrinam oeconomicam brevi post in Franciâ ortam. Prima enim scripta, quibus physiocratarum magister QUESNAY systematis sui fundamenta jecerit, fuêre articuli duo in *Scientiarum et artium Encyclopaediâ*, prelo mandati a. 1755 (2). Tribus annis post, alius oeconomiae praeceptor exstitit GOURNAY, qui *Tabulâ* seu *Calculo oeconomico* totum doctrinae orbem definiret, et quam addidit, *Analysi*, multa ejus capita explicaret (3).

Abhinc convenire incepêre cum his duobus agminis ducibus celebrati discipuli, MIRABEAU, MERCIER, DU-

---

(1) *E. d. L.* XIII. 16—20. Quamquam DESTUTT et SAY ll. cc. rem eandem aliter tractârint, complura tamen ab ipsis laudantur A. N. placita, uti quod dicit c. 7; »que l'impôt doit être progressif, et non proportionnel."

(2) VV. *Fermier* et *grains*.

(3) Similem *tabulam* et *analysin* DUPONTII v. in *Physiocratie*, I, pag. 37; cf. ib. III, *sur l'origine d'une science nouvelle*, pag. 10. GOURNAYI opusc. editum Versaliae, 1758.

PONT, quibus postea TURGOT aliique accesserunt. Itaque nec scriptum oeconomicum ex illâ scholâ, nec physiocratarum coetûs adfuêre ante MONTESQUIVII opus confectum.

Constat tamen, BANDINIUM Italum a. jam 1737 dissertationem conscripsisse, quâ idem prorsus systema commendaret; fortuito autem casu accidit, ut illa a. 1775 demum evulgaretur (1). Mirum esset sane, diverso loco et tempore eam opinionum concordiam sponte locum habuisse, ut a duobus idem doctrinae systema componeretur, idque maxime alienum a societatis, quâ viverent, institutis. Hinc existimandum videatur, quosdam physiocratiae fautores jam pridem secum invicem doctrinae primordia communicasse. Nec rejicienda conjectura, hinc illinc nonnulla de iis audiisse MONTESQUIVIUM, licet nequâquam adhaeserit ipsi effato de agrorum culturâ unico divitiarum fonte (2).

Quippe sunt in Opere loci, ubi notiones physiocratiam olentes subinde appareant. Sic e. g. mercatores semper a reliquis civibus secernit MONTESQUIVIUS; quod inprimis etiam studebant physiocratae. Horum etiam doctrinis convenire videtur, quod docuit MONTESQUIVIUS, fundorum dominia alîus plane naturae esse, atque rerum mobilium, lucra enim e mercibus percepta peregre migrare, verùm fundorum suorum reditibus gentem privari non posse (3). Inprimis verosimile est, coram

(1) Operi titulus est: *Discorso economico*, Milano 1776. V. PECCHIO, *Hist. de l'écon. pol. en Italie*, pag. 90.

(2) Cf. MORSTADT ad DESTUTT, *Comm.* v. II. pag. 3.

(3) *E. d. L.* XIII. 11, 14; XX. 13. Ib. 23: »Les fonds de terre appartiennent à chaque état en particulier, mais les effets mobiliers appartiennent au monde," etc. — V. *Physiocratie*, v. I, *analyse du ta-*

ipso quaestionem aliquando agitatam fuisse de agriculturae praestantiâ, quò egregie valet idem ille locus de machinarum usu supra citatus, ubi scil: eorum opinionem expresse *refutandam* sibi sumit, qui expetendum ducerent, ut integra civitas, missis reliquis artibus, agris colendis operam navaret.

Ipsi autem physiocratae e castris suis arcuêre MONTESQUIVIUM, quem eò maxime peccasse perhiberent, quod disciplinas politicas non satis ad rationem *scientiarum exactarum*, quae dicuntur, efformaverit. Calculis enim et demonstrationibus geometricis lubenter utebantur (1). Sunt tamen quaedam argumenta ad nummos referenda, quibus explicandis Auctoris N. ratiocinia sive emendare, sive amplificare conati sint. Quippe loco supra laudato, ubi adversaretur MELONII sententiae de nummorum valore temere mutando, eodem illo (princ.) posuerat obsoletam hodie sententiam, quam tunc jam profligârant Itali scriptores.

Etenim sic incipit caput: »Nummus est mensura omnium valorum," et pergit alia inde ducens, donec desinat statuendo: »Summam nummorum, qui in singulis regionibus adsint, tanti valere, quanti summam omnium mercium mobilium; et partem aliquotam hujus summae aequipollere parti aliquotae nummorum."

Rerum pretii varietatem ducit e diversâ quantitate pecuniae et reliquarum mercium in quâvis regione; quae si computetur, rationem etiam haberi jubet ejus pecuniae numeratae, quae hîc illic ab hominibus avaris

---

bleau, pag. 40; v. IV, *réponse à M. X, sur l'argent et le commerce*, pag. 182 sqq.

(1) Cf. *Physiocratie*, v. III, *sur l'origine d'une so. nouv.*, pag. 7.

celatur et diu commercio eximitur. Falsa autem haecce videntur, si quis adtendat discrimen magnum inter summam valoris omnium nummorum in aliquâ regione, et mercium, quae vel quotannis producuntur. Praeterea, si calculis eximat MONTESQUIVIUS omnes *sortes* commercio exemtas, perinde multiplicet necesse est summam eorum nummorum, qui inservierint ad complures merces emendas. E. g. *Harpax* otiosa domi habeat decem millia librarum; secundùm A. N., hae non in computationem venient ad summam numeratae pecuniae. At simul in *Pistoris* tabernâ adsint nummi ad centum libros. Hi impigre cursitârunt; per *annum* (vel diutius), sexcentis operariis, totidem tabernariis etc. inserviêre ad res vitae necessarias sibi comparandas. Multis eorum quotidie complures factae sunt emtiones venditiones; alii diutius quievêre: si ponas, singulos altero quoque die semel expensos fuisse, centum illae librae computandae erunt pro duodevicies mille trecentis (1).

Huic igitur aequationi quum veritatis laus desit, plerique physiocratiae patroni aliud sibi fundamentum sumsêre, unde de pecuniâ disserere aggrederentur. Docuêre, *signa valoris* non dici posse nummos, quippe qui ipsi essent merx, et suum valorem, eumque mutabilem haberent. Recte porro animadverterunt, ex eâ MONTESQUIVII definitione sequi id ipsum, quod l. XXII refutare conatus esset. Hinc aliam quaesivêre definitionem; ac denique universe hanc recepêre: »Nummum esse pignus permutationum'' (*le gage des échanges*). Sig-

(1) *E. d. L.* XXII. 1, 2, 7. Cf. SAY, *Cours complet*, p. III, c. 6 (v. II, pag. 60).

nificantes scilicet, eum, qui nummos dominio tenet, tutum praestari, ut semper certam mercium quantitatem sibi possit comparare ejus valoris, qui nummis inscriptus est. Si autem imperans nummos novos cudit, oportet cives certò scire, illis ad eandem mercium summam securos sese praestari, atque antiquioribus eodem stemmate cusis. Quod non obtineret, si valor metalli in deterius mutaretur. Ita ab illis meliori ratione idem efficitur, quod Auctor N. recte statuerat, sed prius admisso falso principio (1).

Est autem, quantùm scio, unus scriptor de oeconomiâ politicâ (isque consilium prodere visus est conciliandae physiocratiae et doctrinae SMITHII), qui MONTESQUIVII sententiae de nummis adhaeserit, nempe BROWNIUS Anglus (2).

Hic pecuniam definit, »mercem universalem, omnium reliquarum signum." Pretium rerum, ipso judice, unice definitur emtorum et venditorum numero; *emtores* autem quum semper nuncupet eos, qui pecuniam offerant, *venditores*, qui alias merces, reliquas permutationes parùm curet, incidit ferme in Auctoris doctrinam de omnis pecuniae pretio semper aequiparante omnium mercium summam. Deinde tamen monet, nequis putet, hanc suam fuisse mentem (3); at non indicat, quid alioqui sibi voluerit.

---

(1) *Physiocratie*, v. IV, *lettre à M.* X, pag. 79. Cf. GANILH, *des systèmes*, l. V, c. 3 (v. II, pag. 85).

(2) D. BROWNE DIGNAN, *Essai sur les principes politiques de l'écon. publique* (Londres 1776), S. I et II; maxime pag. 7, 10, 24. Duas esse statuit causas *pretii;* vim humi sibi relictam et hominum operam. S. VII, p. 110 quatuor hominum *ordines* recenset; productores, consumtores, rectores, mediatores.

(3) Id. ib. S. V, pag. 78 sqq.

Praeterea MONTESQUIVII effatum, quod ceteris displicuit, de mercaturâ bifariam distinguendâ, ratione luxûs et parsimoniae, fusius expositum invenitur in FILANGERII Opere, quem ceteroqui physiocratis potissimùm accensendum arbitror, licet perhibeat, se mere *suas* opiniones prodere in locis oeconomici argumenti (1).

Praeter haec pauca, non putò, Auctorem N. in disciplinam oeconomicopoliticam ullam vim exercuisse; et statuendum videtur universe;

Illis, qui, inde ab ADAMO SMITHIO, doctrinae illi operam navârint, ipsum comparari nequâquam posse; verùm multis locis eminuisse supra aequalium sententias vulgares.

§ 6. *De climate disquisitio.*

Omnium, quae MONTESQUIVIUS ad legum condendarum doctrinam contulit, summa latissime accepta haec certe est: »Leges populorum indoli conveniant.” Hominum autem indoles quum variis causis determinetur physicis, quae pluribus simul communes esse solent, et moralibus, quae in singulis distinctius apparent, sunt bene multi, qui existiment, A. Nostrum physicis nimiùm inhaesisse, neglectis moralibus, adeo ut hominem machinae necessariis legibus motae instar habuerit (2).

---

(1) FILANGIERI, *Science de la Législ.*, l. II, c. 19, coll. 17. Physiocratiam imprimis c. 30 sectatur, ubi tributa unice de agris percipienda docet. — Praeterea MONTESQUIVII distinctionem inter utrumque mercaturae genus laudavit GENOVESI in notis 1 ad *E. d. L.* XX. 4, et 2 ad *E. d. L.* XX. 10.

(2) Sic nuper etiam J. N. *Etudes législatives* (Paris 1836) ch. IX, pag. 129. *Le Semeur*, v. VII, n°. 4, dd. 24 Jan. 1838, pag. 31 (*b*),

Ansam hisce vituperiis dedêre inprimis libri, qui magno operi insunt, *de vi coeli* seu *climate*, quos igitur peculiari sectione memorandos esse putavi, licet verear, ut rite procedere valeam, quippe fines transgressus disciplinae a jurisprudentiâ prorsus diversae. Mihi autem videtur (fateor et sententiam probare conabor), A. N. non adeo peccasse, quod nimium climati tribuerit, quam quod ejus notionem nimis anguste sumserit.

Namque procul dubio est, in animalem, et hinc in psychicam hominis conditionem valere aëris calorem vel frigus, humorem vel siccitatem, ventos, quibus objicitur, aquarum copiam vel inopiam, item aquae saporem, porro situm habitaculi altum vel humilem, viciniam montium, desertorum, maris, humi feracitatem vel sterilitatem, alimenta, quae praebeat quaeque tellus; dein complura esse opificia et industriae genera, quae, ob rationem vel locum exercitii, dici possint suum cuique clima efficere, etc. (1).

Ex hisce omnibus duo tantùm adtendit MONTESQUIVIUS, caloris gradum et humi fertilitatem vel sterilitatem; interdum tangit obiter regionis formam. Historicam etiam climatis doctrinae partem neglexit, puta de regionum diversâ conditione pro diversis aetatibus; uti e. g. credendum est, post diluvia diu humidiorem aë-

---

qui adeo dicit, MONTESQUIVIUM eo ipso meruisse, ut religionis Chr. adversarius haberetur. Libros operis *de Ing. legum*, de quibus sermo est, puto XIV, XVI—XVIII, XXIV. Liber XV, licet similis ei sit rubrica, multa alia continet.

(1) Cf. CORAY ad HIPPOCRATEM, περὶ ἀέρων, ὑδάτων καὶ τόπων (Parisiis 1800), v. I, *Disc. prélim.* pag. *xix* sq. V. cons. H. R. STÖCKHARDT, *Diss. inaug. de coeli in generis humani cultum vi ac potestate* (Lipsiae 1826), pag. 8 sq. 25.

ra et frequentiores fuisse paludes, item in Germaniâ frigus olim acrius fuisse, quam hodie (1).

Fortasse consultò argumentum suum penitus exantlare noluit A. N., ut lectori multa cogitanda relinquerentur.

A.

Clima autem, cùm universe, tùm si unice coeli temperiem vel potius *calorem* spectes, duplici ratione effectum sortitur in leges populo ferendas;

1°. Quoniam, pro vario climate, variis opus est legibus aediliciis de sanitate ac decoro;

2°. Quoniam cogitandi modum, sensûs et consuetudines efformat, quae adtendere, vel augere, vel quibus adversari oporteat legumlatorem.

Prius illud recte vidit MONTESQUIVIUS, et exempla aptissima collegit, qualia sunt, praecepta religionum quarundam de esu carnium, de cibis impuris, de ablutionibus, de quibusdam operibus (uti ad Gangem sacrosancti habentur aquarii); porro curae adhibendae, ut morbi endemici praevertantur, aut sanentur (2). Haecce

---

(1) Cf. VICO, *Principj d'una sc. nuova,* l. II, c. 12 (v. G.), p. 222. Conferri meretur judicium v. cel. C. COMTE, *Traité de législation, ou exposition des lois gén.* etc. (Paris 1827), l. III, ch. 6, ubi p. 124: »Tel est le système de MONTESQUIEU sur les effets du climat, ou, pour parler avec exactitude, du froid et de la chaleur; car cet illustre écrivain ne s'est occupé que de l'influence immédiate produite sur l'homme par la température de l'atmosphère." Seqq. capp. multa contulit idem scriptor, quibus haec res ab omni parte illustraretur, sed illo unice proposito, ut demonstraret, populorum indolem physice non climate, sed stirpe (*race*), unde oriundi sint, determinari. Cujus de stirpibus quaestionis mentio non fit apud MONTESQUIVIUM.

(2) *E. d. L.* XIV. 10—12; XXIV. 23, 24. Praecepta seu monita de usu vini huc item pertinent; non verò leges de poenis delictorum,

et similia nemo negabit, *climati* deberi. Amplior eorum expositio ad medicinam politicam pertinet.

Alteram verò minus conspicuam illam efficaciam coeli temperiei in leges explicare, gravius quoddam Auctori apparuit. Prae ceteris autem ab injusto vituperio vindicandus videtur, a Criticis nonnullis prolato, ac si omnia humana, in quae coeli temperies vim exserit suam, unice ei tribuenda putasset (1). Ex istâ sententiâ, ubi perhibet e. g., hoc vel illo climate ad lasciviam excitari homines, intelligendum foret, ibi fieri non posse, quin omnes lascivi sint.

Quod si voluisset MONTESQUIVIUS, homines prorsus brutis aequiparasset. Haec enim aut certis climatibus adstricta sunt, aut, siquidem ubivis vivere et gignere queant, nihil in ipsis excelsioris est naturae, quod impediat, quominus omnes appetitûs, victus, forma, indoles et vox pariter mutentur ad novi coeli rationem. Quod ad homines, fortasse cutis color et forma a *solâ* climatis diversitate et stirpis, quâ geniti sint, pendent; moralis natura et intellectus cùm his, tùm aliis compluribus causis efformantur. Nec verò ejus discriminis immemor fuit Auctor, uti arguunt ejus loci *de educatione*, de morum doctrinâ climati saepe contrariâ, et inpri-

---

quae quis ebrius commiserit, quas, siquidem ex climatis ratione, ex inversâ eâ, definiri oportet. Scil. ubi frigus et humiditas usum vini et liquorum vulgarem reddunt, ibi legumlator prudenter agere videtur, graviori poenâ scribendâ in eos qui ebrii peccârunt, quam alibi, ubi vini usus minus vulgaris est. Quod item l. c. indicat Noster.

(1) Id. innuit VOLTAIRE, *Comm.* cap. *climat. Dict. phil.* v. *Lois* (*Esprit des*). Insulse illud profert DE LA PORTE, *Obs. sur l'E. d. L.* p. 76 Cf. DE CATANEO, *la source des lois,* c. 6 sqq. De ipsâ re cf. BUFFON, *Hist. Nat. des animaux* (vers. Belg. Amst. 1776), v. IV, pag. 105.

mis de legumlatoris officio, ut scilicet salutari climatis efficaciae faveat, *noxiae adversetur*, vehementiori aliquando cedat (1).

Vidimus autem, arctioribus finibus doctrinam suam circumscripsisse MONTESQUIVIUM, unice de calore et humi feracitate sollicitum. Huic alius accensendus error, quod nempe unam modo adtenderit viam, quâ coeli temperies, corporis ope, in humanum animum vim exsereret, nimirùm *nervos*. Minime quidem ridiculum est (ceu VOLTARIUS existimasse videtur), MONTESQUIVIUM *irritabilem* nervorum naturam (in corpore humano) conspicuam reddidisse experimento satis apto, scilicet, eum in finem ipse narrat, se ovis linguam, ubi mammulae seu extremi nervorem apices facillime conspicerentur, gelui et calori exposuisse, et e vario ejus adspectu derivasse, quod sub cute minus vivide sentiri posset in frigidis, quam in calidis regionibus. Verùm *nervi* non soli efficiunt, ut animi indoles ad corporis rationem, et hinc ad coeli temperiem efformetur; quippe certe non minus eò confert, utrùm fluidior an spissior sit *sanguis*, num *musculi* solidi an laxi; nec omittendi erant aëris effectûs in caput et ventrem, quorum habitus plurimùm valet in psychicam hominis conditionem (2).

---

(1) Cf. WEICKARD, *de Wijsgeerige Arts*, (Dordrecht 1792) v. I, pag. 151 sqq. HERDER, *Ideën zur Philosophie d. Gesch. d. Menschheit* (Carlsruhe 1794), v. II, l. IV, c. 1. *E. d. L.* IV. 1—7; XIV. 3, extr. 5 rubr.: »Les mauvais législateurs sont ceux, qui ont favorisé les vices du climat; et les bons ceux, qui s'y sont opposés;" ib. 7; XVI. 12; XVIII. 6 extr.; XIX. 4. Cf. KANT, *Verm. Schrifte*, v. III, pag. 81 sqq.

(2) *E. d. L.* XIV. 2. HIPPOCR. *περὶ ἀ. ὑ. καὶ τ.*, § 15 sq., 29.

Peccavit porro MONTESQUIVIUS parùm accuratà loquendi formâ, ubi de aëris temperie sermo est. Promiscue enim pro calidis meridionales, pro frigidis arcticas regiones dicit, licet hoc de nostro etiam *hemisphaerio* magnas exceptiones pati debeat (1). Hinc unice locorum *latitudinem*, nunquam *longitudinem*, aut situm calidiorem frigidioremve ob peculiares causas adtendere videtur. Attamen, ubi de humi diversâ naturà disserit, ostendit sese cognovisse, quantum discriminis hâc in re intercedat Europam inter et Asiam. Namque, ex ipsius sententiâ, populi Asiae ita a se invicem sejunguntur per montes excelsos et Tatariae deserta, ut duplex acute distincta oriatur incolarum indoles. Strenui enim sunt et bellicosi, qui frigidiori coelo utuntur; molles, et imbelles, qui ad meridiem montium sitas regiones habitant; unde procedit discrimen inter politicas formas in Asiâ atque Europâ obvias, quum ibi talis distinctio non obtinuerit. Universe autem urget MONTESQUIVIUS, in Asiâ et Africâ despoticae formae favere fervidam coeli temperiem (2).

STÖCKHARDT, diss. cit. pag. 20 ait, animi facultates tres, sentiendi, cogitandi, concupiscendi, referendas ad totidem corporis partes, sanguinem, nervos, musculos. MILLOT, *le Nestor Français* (Paris 1807), v. I, ch. VII. pag. 292: »L'homme a trois centres, d'où partent ses facultés morales et physiques, et d'où naissent ses affections et ses passions. — Les trois centres, dont nous parlons, sont la tête, la poitrine et le ventre. On pourrait croire, que la femme en a un quatrième," etc.

(1) *E. d. L.* XIV. 2, 3, 10 sqq.

(2) *E. d. L.* XIV. 4; XVIII. 4 sqq. coll. XVII. 3; XVIII. 3. Eo discrimine Asiae et Europae motus est HERDERUS, ut de hâc tantùm, climatis ratione, ageret, ita scribens, *Ideën*, v. II, l. VI, c. 3: »Weiterhin nach Europa wege ich mich nicht. Er ist so formenreich und gemischt; es hat

Cui sententiae adversati sunt praeclari duo scriptores, HUMIUS et VOLNEYUS. Quorum hic imprimis specioso utitur argumento: »quî enim," inquit, »eadem coeli temperies et subditos molliter obedire, et tyrannum fortiter imperare doceat?" (1).

Verùmtamen, quod ad Asiam saltem, optime haec conciliari posse videntur; nam imperiorum conditores in Indiâ, Persiâ, Asiâ Minori, cuncti bellicosi fuêre homines ex rudi illâ Scythiâ et Sarmatiâ (Mogoli, Tatares, Hunni, Parthi, Turcomanni); quibus plerùmque uno praelio succubuêre molles, cultiores et otii amantes, e. g. Persae, alibi Afghanistae, Birmani, Peguani, et effeminatae gentes Minoris Asiae. Dein mollities quidem sensim victores et imperantes aeque occupavit ac subditos; at hae gentes adeo segnes et securae esse solent, ut politicis mutationibus operam navare multis ne in mentem quidem veniat, aliae dominum mutent, non dominationem evertant, quâ jam dudum corruptae sunt.

Patet inprimis ex Indiae Anglicae conditione, quam egregie de ejus regionis incolis judicârit A. N., nam complures narrantur gentes ibi reverâ politico regimine carere (ubi e. g. septem decemve Angli magistratûs praeficiuntur multis millibus Indorum, nec copiae Europeae habentur ad eos cogendos) qui tamen paucis illis peregrinis parerent, et onera ferrent societati Indicae, licet

durch seine Kunst und Cultur, so vielfach die Natur verändert, dasz ich über seine durch einander gemengte feine Nationen nichts allgemeines zu sagen wage."

(1) HUME, *Essays and treatises on several subjects* (London 1784), v. I, tr. 24. VOLNEY, *Voyage en Syrie et en Egypte* (Paris 1807), v. II, c. 40.

prorsus ignorarent, quid negotii esset ea societas; nec quicquam curarent, se, ex incolis Imperii Mogolici, Angliae subditos evadere (1).

Europam fatetur MONTESQUIVIUS universe majori libertatis studio valere, neque ejus populos mixtos, mutabiles et impigros ita facile subigi posse ac Asianos. Existimat tamen, gentes ad septentionem sitas libertatis ac dominandi studiosiores esse, quam meridionales; quod effatum arcte cohaeret cum altero illo placito de fortitudine, pro coeli temperie, variâ.

Hîc autem egregie quidem ostendit, calore enervari vires et animi et corporis; naturâ igitur suâ fortiores fore homines sub frigido, quam sub calido coelo viventes; at neque adtendit, utrùm a teneris consueti fuerint climati, an verò aliunde venerint; neque distinxit fortitudinem suapte insitam (de quâ unice loquendum erat) et fortitudinem ex honoris studio et consuetudine belli ortam; denique, singularibus exemplis e recentiori Europâ citandis, obnoxius Criticis evasit, nam historia centiori sexcenta praebet exempla bellorum, quibus meridionales populi devicerunt ad septentr. habitantes (2).

B.

Porro de *politicis* climatis effectibus statuit, et frigi-

---

(1) V. CORAY, *Disc. prélim.* pag. *xxxvij*. *Additions en forme de notes sur l'E. d. L.* pag. 61. Cf. VICTOR JACQUEMONT, *Correspondance* (Paris 1833), vol. II passim.

(2) *E. d. L.* XIV. 2, 3; XVII. 6. HERDER, *Ideën*, v. II, l. VI, c. 1, 2 docet, extremum frigoris gradum aeque ac summum calorem vires deprimere (quo refertur Esquimonum ignavia), verùm, inter populos mediâ aëris temperie usos, frigidiores naturâ suâ magis ad fortitudinem comparatos videri.

dum aëra et solum sterile aptissima esse reipublicae liberae; populum contra dulci temperie usum, laute viventem, melius uni pariturum (1). Quod placitum manifestò cohaeret cum politicâ virtute popularis regiminis principio, nam sterilis regionis incolae minora habentes bona, facilius ea in commune collaturi sunt, quam opulenti: nec, ubi paucae sunt opes, tanta inaequalitas exsistere potest, quanta exsistit inter divites. Saepe etiam soli sterilis ea est natura, ut ad nomadicam vitam adigantur populi, quâ certe conditione absoluti imperii impatientes fiunt, uti Arabum, Scytharum et antiquorum Germanorum exemplo confirmat. Inprimis hîc Germanicarum gentium leges adtendit et politica instituta, cùm ante Imperii Romani interitum, tùm postquam certas sedes nactae essent, quae egregia esse videtur prolusio ad ultimos operis libros (2).

Controversia autem saepius agitata est de MONTESQUIVII effato ibidem obvio, scil. *monticolas libertatis studiosos esse solere*. Quod tamen recte se habere videtur, nam montes quidem complures inveniuntur in regnis despotice gubernatis; sed saepissime nonnisi in tabulis geographicis tali regimini subsunt, suas leges plerùmque et liberiorem vitam servant incolae, vel saltem nonnisi moderatum ipsis imponi potest regimen. Fatendum quidem, montium aëra non impedire, quominus aliquoties dominos, eosque absolutae potestatis, sibi praefe-

---

(1) *E. d. L.* ib. et XVIII. 1, 3, 4, 14. Vehementer hanc sententiam adortus est J. REY, *Traité des principes généraux du droit* (Paris 1828), pag. 245, n. 1 et 255 sqq. ubi perperam ait: »MONTESQUIEU attribue tous les vices aux peuples du midi et toutes les vertus aux pays septentrionaux."

(2) *E. d. L.* XVIII. 11—14; 19—22, 30.

cerint; at rariora sunt ea. Nam, si historiae cursus adtendatur, apparet, rarò populos sibimet ipsos imperantes optavisse; ubique ferme victores cernuntur alii, alii victi; ac pro viribus majoribus aut minoribus utrorumque, durius aut lenius conditur pactum sociale (1).

Praeter politicam eam vim coeli et humi, eorundem effectum memorat in *leges civiles et criminales*. At frustra universale quaeras placitum, de ratione, quâ ad cujusque gentis indolem sese leges efformârint, e. g. in Indiâ religiosis fundamentis nixae, in Graeciâ philosophicis, apud Romanos rustico et militari victu (2).

Ubique in singularibus argumentis haeret, legibus de opificiis, de injuriis, de delictis carnis etc. Tandem, ubi inciderit in gravissimam quaestionem, puta, quam fidem indoli cujusvis populi habuerint legumlatores, (unde mensura peti possit severitatis legum poenalium et aediliciarum) verbo memoratis Indiâ et Japanensi regno, ad alia progreditur (3).

Specialem doctrinae partem integro libro consideravit MONTESQUIVIUS, nempe de *feminarum conditione*, respectu sexûs potioris. Fuêre, qui existimarent, mulierum semper eò majorem haberi reverentiam, quò cultiori et jucundiori vitâ fruerentur populi; verùm

---

(1) *E. d. L.* XVIII. 2, 3. Cf. GUIZOT, *Hist. de la civilisation*, Leçon III. Nostrates autem, quod aegre ferant hoc de monticolis effatum, non est; nam de humilioribus regionibus ait, solum industriâ humanâ partum certum esse boni regiminis augurium. Ibid. c. 6, 7. De monticolis v. etiam HIPPOCR., *περὶ ἀ. ὑ. καὶ τ.* § 120 sq., ibique CORAY in notâ, v. II, pag. 381.

(2) V. Diss. alterâ STÖCKHARDI, *de coeli vi in jure conspicuâ*, Lipsiae 1826, p. I (pag. 10—46).

(3) *E. d. L.* XIV. 6—8, 14, 15.

diversa maxime ratio, quâ gentes pariter incultae feminas habere solent, et inclusio ac contemtus feminarum, apud cultissimos populos, Athenienses v. c. obvia, vetant, quominus huic sententiae accedamus (1).

Multùm certe in feminarum conditionem efficit victus, cui operam navant mares, quum populi e. g. pastores aut nomades pluris facere soleant sexum debiliorem, quam venatrices gentes et ruricolae. De bellicosis moribus parùm universe statui potest, nam sunt nationes rudes, bello valentes, quae ideo debiliores feminas contemnant; complura verò etiam adsunt exempla mulierum, quae viris in praeliis opem ferrent, uti de Scythis et Cimbris traditur. Hasce autem quaestiones integras reliquit A. N., quippe qui unam tantùm disceptandam sibi sumeret, cur sub fervido coelo polygamia omnium populorum moribus inhaereat et secludantur feminae.

Causam adfert, quae procul dubio aëris temperiei unice tribuenda est, scil. praecocem pubertatem, quâ eveniat, ut amori et aestuantibus adfectibus idoneae fiant puellae, antequam rectâ ratione utantur: unde mares earum amorem flocci pendunt ac continuò mutare cupiunt uxores suas. Invitus adeo fatetur, Orientis mores hâc in re colorem pati, ob turbas et profligatos mores mulierum in aliis quibusdam locis eodem climate ubi liberiores sunt, e. g. in Lusitanorum coloniis Asiaticis. Invitus, inquam; polygamiae enim perniciosam vim in populorum conditionem indignabundus recenset; et gratulatur Europae gentibus plerisque, quod

(1) V. HERDER, *Ideën,* v. II, L. VIII, c. 4.

feminae liberius inter mares ibi versantes, amoenam et elegantem reddant vitam (1).

Dubium videri possit, an altera polygamiae causa a MONTESQUIVIO obiter memorata, quod nempe *nonnullis* locis pauciores nascantur mares, quam feminae, reverâ ita sese habeat. Saltem, ubi aliquantò major est numerus mulierum, plerùmque polygyniae mores longe illam proportionem excedunt, uti e. g. notum est, in Turcarum commodum, Georgiam et plures regiones formosis quibusque puellis privari; item Indiae magnae parti ex Cachemiriae regno feminas suppeditari, quarum igitur plures desiderantur, quam proferunt singulae regiones (2).

Quae porro MONTESQUIVIUS dixit de polyandriâ, zelotypiâ, divortio, non opus est ut specialiter exponantur; animadvertere sufficiat, hanc partem doctrinae de climate, summâ curâ ab ipso elaboratam fuisse.

Restat, ut videamus de *religione*. Nemini dubium est, quin aër, et regionis situs, et victus gentis vim exserant in externos cultûs divini *ritûs*. In multis regionibus consultò juncti sunt illi cum sanitatis curâ, quod in Muhammedicâ et Braminicâ religione inprimis conspicuum est. Climate porro et naturâ soli definitur, num sacri ritûs sub dio, an in tectis locis fiant, utrùm templa habeantur, utrùm fluminum vicinia aliquid ad

---

(1) *E. d. L.* XVI. 2, 6—8, 10, 11; XIX. 12, 14, 15. Cf. STÖCKHARDT, *Diss. de coeli vi in jure conspicuâ*, p. II, pag. 51 sqq.

(2) *E. d. L.* XVI. 4. HERDER, l. c. conjicit, fortasse polygamiam causam potius quam effectum esse majoris feminarum, quae nascuntur, numeri.

sanctitatem locorum conferat, etc. Diligenter haecce observata ab Auctore N. (1)

Moralem etiam doctrinam religionis plerùmque climati aliquomodo convenire, unde originem duxerit; item innuere videtur, quum laudet MONTEZUMAE (Mexicani) dictum, unamquamque cultûs formam optimam esse populo, cui data esset. Ulterius hâc de re non agit.

Ultimo denique loco veniunt *dogmata*, quae reverâ fatendum est, mirum in modum diversa esse pro aëris diversâ temperie.

Primùm enim, circa vitam futuram, singularum nationum sacerdotes ipsas docere solent ea, quae naturâ suâ optime valeant ad exhortandum, ut pareant monitis, ab impietate se abstineant. Id factum plerùmque est, ope imaginum ex quotidiano eorum victu, ex appetitibus, e locis, ubi maxime delectantur, sumtarum. Ita Esquimones sperare feruntur, sibi post mortem commoda habitacula fore subter Oceanum sita, ubi absque labore capiant phocas aliasque marinas delicias; antiqui Germani, coenas et cerevisiae pocula; Graeci fertiles sibi fingebant valles et vitam puri intellectûs, dum tamen pulcher corporis habitus servaretur; Orientis populi plerique aeternas sensuum voluptates; Judaei restauratam Urbem, eamque auro et gemmis refertam; Nigri servi reditum in patriam terram; Indi quietem et contemplationem perpetuam. Cultissimi demum et eruditissimi populi eò pervenêre, ut senserint, vires humani ingenii haud valere, ut vitae futurae claram et

---

(1) *E. d. L.* XXIV. 11, 23—26; XXV. 3 extr. STÖCKHARDT, *Diss. de coeli in generis hum. cultum vi*, pag. 53.

et distinctam imaginem sibi efformet (1). Sunt etiam, qui minus recte, ut videtur, ex regionis formâ et coeli adspectu notiones de rebus divinis varias apud varios populos oriri putent, quâ de re tacet A. N. (2).

Id autem negari nequit, climate effici, ut alii populi imaginandi vim creatricem eximiam habeant, et vitae monachali, item phantasiae, atque poëmatibus religiosis conficiendis aptissimi sint; aliis magno cum labore crassae et mere corporeae quaedam notiones inculcentur; alii facilius abstracte considerare queant dogmata et res incorporeas absque figmenti ope (3). Egregias huc observationes adtulit MONTESQUIVIUS, maximâ parte desumtas ex itineribus *missionariorum*. Horum lectio ipsum etiam eò duxit, ut effata quaedam proferret de religione Christianâ, quae nonnullis regionibus minus apta videretur, quam aliis, item de climatis discrimine inter regiones a reformati cultûs asseclis, et a catholicis habitatas (4). Ejusmodi loci videbimus quantas *animis coelestibus iras* inspirârint.

Huc ferme redeunt celebrata MONTESQUIVII de climate *placita* (*doctrinam* enim dicere minus proprium videatur), de quibus sic judicandum puto, quod *A. N. de*

---

(1) Cf. HERDER, *Ideën*, v. II. L. VIII. c. 2. *Lettres P.* 125.

(2) STÖCKHARDT, diss. cit. pag. 60 sqq. multum tribuit formae coeli seu potius fictae illius planitiei, quam vulgò *firmamentum* vocant, prouti illud serenum aut nubibus tectum aut procellosum plerùmque appareat.

(3) *E. d. L.* XXIV. 11, 19, 21; XXV. 2, 4. Cf. VICO, *Princip*, l. II, c. 12. Monachicae vitae originem a climate derivari, aegre tulit editor Neapolitanus, n. ad *E. d. L.* XIV. 7.

(4) *E. d. L.* XXIV. 4, 5; XXV. 11, 15. *Le Semeur*, l. c.: »Par là il justifie toutes les religions excepté celle, qui par cela seul qu'elle se déclare divinement établie, prétend à l'universalité."

climate dicens erraverit, non adtendendo, quam late argumentum illud pateret, neque satis physiologicae scientiae adhibuisse suis disquisitionibus; in singularibus verò, quae observaret, pro more suo eminuisse, cùm consiliis legislatorum exponendis, tùm Germanicarum inprimis gentium victu describendo (1).

C.

Minime autem primus omnium conatus fuerat MONTESQUIVIUS de climate ita philosophari. Scriptorum ante ipsum eâ de re antiquissimus et, ni fallor, diligentissimus HIPPOCRATES fuit, praeclaro libello *περὶ ἀέρων, ὑδάτων καὶ τόπων*. Diligentissimum ideo praedico, quod omnia loca, de quorum situ scripsit, invisit, et novo plane suscepto labore ita defunctus est, ut vix ullum libro insit placitum, quin illud sequentium aevorum experientia comprobaverit. Vix etiam dubitari potest, Auctorem N. ex lecto HIPPOCRATIS opere multùm profecisse; inprimis enim secutus ipsum videtur, ubi disserit de discrimine indolis Asiae et Europae gentium, et de situ Boreali vel Australi locorum. Id autem mirum accidit, saepius, ubi HIPPOCRATES de situ ad septentrionem seu aliam coeli partem aperto loquatur, MONTESQUIVIUM pro

---

(1) Doleo, contrarium prorsus judicium de A. N. latum esse a FILANGERIO, *Science*, l. I, c. XIV (vers. Fr. v. I, pag. 200); at qui fieri potest, ut attentione animi debitâ MONTESQUIVII opus legerit, qui ita pronunciet? »Cet homme célèbre regarde l'influence du climat, comme la cause universelle de presque tous les évènemens politiques et moraux," etc. Pro meâ opinione cf. STÖCKHARDT, *de coeli in gen. hum. cultum vi*, pag. 9; *de coeli vi in jure consp.*, pag. 47. ANCILLON, *zur Vermittlung d. Extreme*, v. I (*Einwirkung d. climatischen Verhältnisse*), pag. 7 sqq.

illis, poli vel aequatoris viciniam memorare, licet satis perspicue videatur Cous philosophus de effectibus ventorum, aquilonis, noti, aliorum, egisse. Fieri potuit, ut pauciorum doctorum interpretationi fidem habuerit, qui HIPPOCRATIS locos aliter explicarent; vel etiam dissentire reverâ potuit (1).

Magnam curam ejusmodi praeceptorum, qualia ille dederat, habendam esse, ubi de opportunitate urbis condendae, ceterisque ad med. politicam pertinentibus deliberatio instituenda foret, docet ARISTOTELES (2). Porro e Veteribus, de climate locus adferri solet CICERONIS (3), ubi tanquam rem universe cognitam, ait »acutiora in»genia et ad intelligendum aptiora esse eorum, qui »terras incolunt eas, in quibus aër sit purus, ac tenuis, »quam illorum, qui utantur crasso coelo, atque con»creto. Quin etiam cibo, quo utaris, interesse aliquid »ad mentis aciem." Verùm Veteribus tam exigua erat notio formae et conditionis orbis terrarum, ita anguste omnes observationes suas referendas putabant omnemque scientiam ad unam Zonam, quam habitabilem existimarent (quintam circiter arctici hemisphaerii partem), ut universalis theoria ex ipsis peti nequeat (4).

Ipsum illud mirabile HIPPOCRATIS opus, ut monita tantùmmodo continet specialia medico Graeco, artem suam in Graecis urbibus professuro, ita localia plera-

---

(1) Cf. CORAY, *Disc. prélim.*, pag. *iij* sqq. HIPPOCR. *π. ἀ. ὑ. κ. τ.* § 9 ibique CORAY notâ, v. II, pag. 145; porro § 15 sqq., 71 sqq., 85, 94, 116, 125 sq. *E. d. L.* XIV, passim, maxime c. 2. — REY, op. cit. pag. 257.

(2) ARISTOT. *Pol.* VII. 5, 6.

(3) CICERO, *de Nat. Deorum*, II. 16.

(4) Cf. CIC., *de Rep.* VI. 16.

que habet; magis philosophica et, quae latius patent, obiter tangit, nec usquam longius spectat quam Asiam Minorem et Ponti Euxini oras.

Recentiorum complures, inprimis peregrinantes, operibus suis animadversiones intexuerant de climatis effectu, quos inter eminet *Persici itineris* Auctor CHARDIN, saepe a MONTESQUIVIO citatus. Duo tantùmmodo, quantùm scio, in systema eas redigere tentarunt, BODINUS et VICO (1).

Ille sententiis circa climatis vim prolatis, regulas proposuit de ratione, quâ singularum regionum populi gubernandi essent, ut nempe frigidissimas terras colentes vi et armis, torrido coelo subjecti religioso metu, temperati climatis participes rectâ ratione et justi sensu parere discerent. Hisce populares suos complexus, simul politicae prudentiae praecepta dare studuit.

Quid de VICONE dicam? nova ille historica fundamenta theoriae, de quâ agimus, quaesivit. Cùm locus ex ejus Opere saepius citatus, tùm complures 114 illarum thesium (quas Operi praemisit), huc referendae; at, quid tandem sibi voluerint ejus *physica* et *metaphysica*, quas *poëticas* vocat, haud facile est intellectu. Ceteroqui non multùm refert, nam parva habetur VICONIS auctoritas; et verosimile videtur, MONTESQUIVIO ignotum fuisse opus *de scientiâ novâ*, quod illud nunquam laudârit, nec quicquam eorum, quae lepide a VICONE excogitata erant, ratiociniis suis intexuerit.

(1) BODINUS, *de Rep.* V, 1. VICO, *Principj*, l. c. et (v. G.) p. 65. Quantùm CHARDINO debuerit Noster, v. ap. COMTE, *Traité de législ.*, v. II, pag. 118.

CAPUT III.

EFFICACIA OPERIS »DE INGENIO LEGUM" IN POLITICAS DISCIPLINAS.

Tantam celebritatem adeptus est liber, de quo agimus, ut non solùm omnia politica scripta post MONTESQUIVIUM edita, laudandi aut vituperandi causâ, ipsum memorent, vel quasdam ejus sententias referant, verùm ut nullus ferme adsit scriptor, cujus argumentum vel minimùm tangat politicam vel civilem prudentiam, quin e scriptis appareat, Auctorem N. ei cognitum fuisse et plus minusve efficaciae in ejus sententias habuisse (1).

Herculei autem humeri impares forent labori, si quis omnes hujusmodi locos colligere vellet; et porro omnium principum et coetuum politicorum agendi rationem perscrutari, ut A. N. notionum et consiliorum vestigia deprehenderet.

At non ita de operis efficaciâ agendum puto, multis

(1) Ita ecclesiasticis adeo scriptoribus exemplo fuit. Dicitur enim doctus theologus Halensis MICHAËLIS rationem Montesquivianam adhibuisse *Juri Mosaico* explicando.

minutiis et disquisitionibus missis, hosce argumenti fines fore constitui, ut

Primùm ex criticis, anticriticis, observationibus, emendationibus, imitationibus de eo scriptis appareat, quâ mente viri docti et variae conditionis homines illud exceperint;

Porro indagetur ex illis politicis opinionibus, quae summam deinceps in Europâ auctoritatem nactae sunt, quid ab eo didicerint, quid rejecerint plerique practice rebus publicis operam navantes.

§ 1. *Recensentur libri de magno* MONTESQUIVII *opere conscripti* (1).

Profectò sicui, cognitis argumento et formâ Operis *de Ingenio Legum*, conjiciendum esset, undenam primi ejus Critici prodierint, dubitaret fortasse, utrùm ad JCtorum an verò ad literatorum ordinem referendi sint; verùm non facile divinaretur, primùm de Auctore N. vix alios, quam clericos, judicium tulisse. Id tamen accidit. Duo nempe diaria, quorum alterum Tivurtii editum doctrinis Jesuitarum propagandis inserviret, alterum Parisiis scriberetur a Jansenistis, hinc sibi famam quaesivêre.

Illi diario, quamprimùm Opus MONTESQUIVII prodiisset, insertae sûnt epistolae deinceps duae ab Anonymo conscriptae, quarum priori docetur, hujus operis Auctorem omni pietate manifestò carere, quippe qui veritas

---

(1) Frustra *omnium* eorum copiam mihi facere, aut saltem omnes videre tentavi; de plurimis tamen bene successêre conatûs, quâpropter dulcissimum est officium gratias referre viris cl. et doct., quorum eximiae comitati eorum usum debui.

non sit ea statuere, quae, si vera essent, ecclesia absurda quaedam egisse videretur (1). Unam literariam controversiam in fine tetigit Criticus, scilicet ad locum DIODORI de censu Athenis habito. Huic soli respondit Auctor scriptiunculâ quâdam, quae ad calcem ipsius anticritices legitur. Iterum pro suâ sententiâ idem Anonymus in eodem diario epistolam scripsit, quâ eadem argumenta repeteret, quae in priori protulerat (2).

Pluris verò fecit MONTESQUIVIUS Jansenistarum contumelias. Hi enim fusius quaestionem agitârant, semper tamen eandem, num Auctor operis *de Ingenio Legum* sincere religionem Christianam profiteretur. Doctrinas SPINOSAE et POPII, quarum utramque pariter abominandam docerent, in compluribus ejus effatis deprehendere sibi videbantur; bonis item moribus repugnare censebant, quaecumque de climate, de polygamiâ, de foenore dicta occurrunt. Dolendum profecto est, unicam refutationem, quâ scribendâ placita sua tuitus sit Auctor, hunc Criticum spectasse; nam, licet multo cum acumine et elegantissimâ ironiâ eum profligaverit, parùm ex illo MONTESQUIVII opusculo discimus, nisi illud: magnopere ipsum timuisse, ne *religionis naturalis sectator* haberetur, quâ de re tamen adversariis nihil persuadere po-

---

(1) Ita vehementer carpit, quod A. N. dixerit: »Il faut honorer la divinité, et ne la venger jamais." — *E. d. L.* XII. 4. Nam, inquit, hoc si verum esset, careri posset regiis edictis adversus blasphemiae reos. — v. *Lettre au P. B. Jésuite, sur le livre intitulé l'E. d. L.* in *Mémoires de Trévoux,* Apr. 1749. Ed. in *Pièces pour et contre l'E. d. L.* (Genève 1752), p. I, nº. III, pag. 46—60.

(2) *Eclaircissemens sur l'E. d. L.* nº. II. — *Lettre au P. B. sur un article de la brochure intitulée: Défense de l'E. d. L.* in *Pièces*, p. I, nº. IV, pag. 61—66.

tuit, uti sane in literatorum controversiis plerisque accidere solet (1).

Defensioni successit iteratus impetus Critici, qui in eodem diario probare tentavit, ex primo MONTESQUIVII libro manifestò apparere, eum SPINOSAE doctrinam amplecti; nec quicquam efficere, quaecumque in laudem revelatae religionis postea dixerit; nam, inquit, totidem insunt SPINOSAE ipsius *Tractatui theologico-politico*, quo tamen abominandam haeresin docuit. Pariter a judicio suo de *foenore* recedere nolebat Jansenista, cùm quod ad locum TACITI ádtinet supra memoratum, tùm quod ad licentiam usuras stipulandi (2).

Tantam stoliditatis et superstitionis audaciam ferre non potuit VOLTARIUS, qui ceteroqui MONTESQUIVII non eximius erat laudator, hanc verò opportunitatem praeterlabi nolebat, ad flagellandos ex animi sententiâ clericos quosdam, uti fecit mordaci epistolâ ad scriptores diarii ecclesiastici (3).

Postquam vehemens ita agitata fuisset controversia, contentio minus acris, sed contentio tamen, agitari perrexit. Namque aliâ ratione (moderatiori), Critico respondit

(1) Diarium, de quo sermo est (*Gazette ecclésiastique*), prodiit 9 et 16 Oct. 1749. Critice item inserta in *Journal des Savans*, Apr. 1750. Initio anni 1750 edita est *Défense de l'E. d. L.*, quae dein omnibus magni Operis editionibus juncta. Haec sola fuit anticrisis. Hoc enim nomine haud appellanda *amica* (reverâ) *responsio* MONTESQUIVII, ad observationes quasdam familiaris GROSLEY. Invenitur ea inter *Ep. fam.* in ed. 1826, v. VI, pag. 474.

(2) *Réponse à la Défense de l'E. d. L.* in *Gazette eccl.* 24 Apr. et 1 Maji 1750. In *Journal d. Sav.* Júlio 1750. *Pièces*, p. I, nº. 1.

(3) VOLTAIRE, *Remercîment sincère à un homme charitable*, scriptum Massiliae, 10 Maji 1750; in *Pièces*, p. I, nº. 2. Ad calcem edd. *E. d. L.* cum notis *Anonymi* (Lugd. B. 1758; Amst. et Lips. 1793) aliarumque.

doctus quidam (reformatis sacris addictus) DE BEAUMELLE; ac ita bene intellexit Auctoris N. mentem, ut familiares putarent, ab ipso conscriptam fuisse alteram hanc anticrisin, quae absque nomine prodierat.

Semper verò iisdem controversiis inhaesit atque priores, de religionis reverentiâ, de vi climatis in hominum praestantiam moralem, de monachis etc. Nonnisi serius magni momenti illae quaestiones agitari coepêre, quibus locum dare debebat opus. In fine autem hujus scriptionis cantilena invenitur, quam ignotus quidam MONTESQUIVIO invidus, ut videtur, multis distribui curaverat, quaeque per aliquot hebdomadas Auctoris N. famae inter Parisienses nocuit (1).

Eodem circiter tempore (post med. 1750) apud publicanum quendam nomine DUPIN, convenire coepit literatorum coetus, quorum primas partes agebant abbates PLESSE et BERTIER, ex societate JESU. Praecipuum eorum propositum erat, mendas operis *de Ingenio Legum* investigare. Confecit haec societas spissum satis criticum scriptum, quod tamen paucissimis innotuit. Postquam enim DUPIN, cujus nomen libro praefigebatur, triginta circiter exemplaria familiaribus donasset, insignium quorundam hominum auctoritas intervenit (sunt, qui id tribuant regiae concubinae DE POMPADOUR); ac persuasum fuit publicano, ut omnia

(1) DE BEAUMELLE, *Suite de la déf. de l'E. d. L. ou Examen de réplique du gazetier eccl.* in *Pièces*, p. II. Ib. pag. 145, memorat breve de opere judicium in diario *Bibliothèque raisonnée* (1750), cui verbo respondit MONTESQUIVIUS in *Eclaircissemens*, n°. I. Versiculi illi insulsi, sic incipiunt:

»Avez vous lu l'Esprit des Lois?
Que pensez vous de cet ouvrage?
Ce n'est qu'un pénible assemblage
De Républiques et de Rois" etc.

reliqua, quae jamjam apud librarium prostitura erant, comburi curaret. Alii addunt, multa etiam ex iis, quae dono dederat, cremari ipsum curavisse (1).

Enimverò, non hasce *Observationes* (2), sed alias denuo minori volumine prolatas, refellere conatus DE RISTEAU, societatis Indicae rector, qui *Apologiam* scripsit operis Montesquiviani.

Uno scilicet parvo volumine tentârat abbas DE LA PORTE non tantùm emendare librum illum, sed etiam locos, ubi aliquid omissum fuerat a MONTESQUIVIO, supplere, et omnia colligere, quae lectu digna in eo invenirentur; ita ut lecto hoc libello melius perspici possit vera sententia ejus placitorum, quam si ipsum manibus versetur opus *de Ingenio Legum*. Quem in finem doctrinam de legibus ferendis ad quinque capita redigendam instituit, prouti spectent religionem, ethicen, politicen, jurisprudentiam, mercaturam, quae si rite secernantur, nec nimius locus universalibus placitis tribuatur, procul dubio fore existimat, ut recta disputatio exsistat *de Legum Ingenio* (3).

---

(1) Libro titulus fuit; *Observations sur l'E. d. L.* (Paris 1751, III, v. 8°). — VOLTAIRE, *Comm. avantpr.* WALCKENAER in *Biogr. Univ.* v. XXIX, pag. 512, notâ 1; et GUASCO, n. 2 ad *L. F.* 40, uno ore adfirmant, nullum exemplar venditum fuisse ab editore; sed unus GUASCO ait, alia etiam collegisse et cremâsse DUPINUM. Utut est, pauca eorum exstant in bibliothecis Francicis ad hunc usque diem; sed »Non cuivis contingit adire Corinthum."

(2) Uti falsò ait editor, ed. 1826, v. VI, pag. 91.

(3) *Observ. sur l'E. d. L. ou l'Art de lire ce livre, de l'entendre et d'en juger par M**** (Paris 1751; Genève 1752), maxime pag. 4, 13, 89, 123. Idem pag. 131, laudat opus publicani DUPIN, licet prelo mandatum nondum esset. Ex quo loco patet, falli QUÉRARD, *la France Littéraire,* VI, pag. 240 (*a*), ubi ait, DUPINI opus prodiisse a. 1749.

Quum autem partium studium in hoc Critico nimis manifestum esset, parvâ laude exceptae sunt hae *Observationes;* paulò majori, *Apologia*, quâ eas profligavit DE RISTEAU (1). Hujus moderatior est stylus, quam qui in opere BEAUMELLII adparet.

Ferax autem scriptorum ad opus *de Legum Ingenio* fuit annus ille 1751, nam eodem, abbas quidam DEBONAIRE conscripsit edique curavit *Analyticas epistolas* de MONTESQUIVII opere, quibus et doceret, malo ordine disposita esse argumenta, et porro severe dijudicaret, quae singulis libris insunt. His refutatio nulla insecuta est, licet eas noverit RISTEAU, at non putavit dignas, quibus responderet (2).

Inter omnes igitur, qui de Opere Auctoris N. in Franciâ ita disputârunt, nullus fuit JCtus, si unum excipias DE MALETESTE, literatis non plane ignotum virum, qui (1749) scripsit parvam Analysin criticam, cujus tamen, licet MSti amicis copiam fecerit, nulla editio prodiit ante ejus mortem, 35 post annis (3). Interea tacebat VOLTARIUS, tacebant *Encyclopaediae* Auctores,

(1) *Apologie de l'E. d. L. ou Réponse aux obs. de M. D. L. P. par M. de R**** in *Pièces*, p. III. Insolitam argumenta distribuendi methodum consultò adhibitam esse perhibet, laudans poëtae praeceptum (pag. 18):

»Souvent un beau dèsordre est un effet de l'art."

(2) Operi titulus: *l'E. d. L. quintessencié par une suite de lettres analytiques* (Paris 1751), II v. 12mo. — Cf. DE RISTEAU, pag. 106. — Laudatur ab *Anonymo* in notis passim; item in *Mercure de France*, Nov. 1751.

(3) J. L. DE MALETESTE, parlamenti Divionensis consiliarius, scripsit *Varia opera*, edita hoc titulo (*Oeuvres diverses*), Lausanae 1784, inter quae locum obtinet *l'Esprit de l'Esprit des Lois*. Rarus autem est liber. — Cf. de eo *Magazin Encyclopédique*, Julio 1807, p. 69.

Plerisque haud placuit opus *de Ingenio Legum*; ne tamen socii esse viderentur eorum, qui in diariis ecclesiasticis meritae MONTESQUIVII laudi detrectabant, a scribendo se abstinebant (1).

Berolini degentes literati aut adhaesêre N. Auctori aut a judicio ferendo abstinuêre, quoniam FRIDERICUS II, laudante familiari DE MAUPERTUIS, eum socium cooptaverat academiae Berolinensis. Exinde autem opuscula, de quibus agendum, longioribus intervallis prodiêre.

Quorum agmen ducit nobilis Italus DE CATANEO, qui Francico sermone scripsit, *de legum fonte, efficaciâ et vero ingenio.* Hujus scriptionis primâ parte demonstrare enixus est, MONTESQUIVIUM male intellexisse universale legum fundamentum, quippe quod statuere debuisset hâc normâ contineri: »Quod tibi fieri non vis, alteri ne facias." Dum autem A. N. reprehendit, comitem ei addit famosum medicum DE LA METTRIE, cujus opus *de homine machinâ* nuper in lucem prodierat (2). Alterâ et tertiâ parte profitetur, se doctrinam de legibus ferendis ad vera placita reducere velle; porro efficaciam legibus tribuendam esse: 1°. ex notione divinae summi imperii originis; 2°. ex timore supplicii aeterni.

---

(1) *Lettre* D'HELVETIUS *à* SAURIN (1749) ad calcem ed. 1826, v. V, pag. 305. VOLTAIRE, *Correspondance*, n°. 1036 (14 Sept. 1751); n°. 1264 (27 Febr. 1755): »Ce livre n'a jamais été attaqué que par les côtés qui font sa force; il prêche contre le despotisme, la superstition et les traitans."

(2) *La source, la force et le véritable Esprit des Lois, essais du Comte* J. DE CATANEO, *pour servir de réponse au livre de l'E. d. L. et de l'Homme machine* (Hagae C. 1753). V. inprimis, p. I, c. 4 et 5. Similiter A. N. impiis adnumeratur in opusc. *La Dévotion réconciliée avec l'esprit* (Monte Albano 1753), pag. 161 sqq. quod conscripsit J. G. LE FRANC DE POMPIGNAN, teste BARBIER, *Dict.* I, pag. 279, *b*.

Quâ opportunitate graviter vituperat MONTESQUIVIUM, quod *nihil de daemonibus tradiderit*, *atque ita doctrinis societatis eversoriis adhaesisse videatur*.

Porro *legum ingenium* duobus capitibus satis lucide exponi posse ait; quorum prius doceat, leges hominum felicitati inservire debere, alterum, quidnam faciendum sit legumlatori, ut leges subditis gratae accidant (1).

Liber ille CATANEI in historiâ disciplinae politicae locum tenere debet; Auctor enim, licet longe minori doctrinae copiâ scribendique elegantiâ insignis, tunc jam tentavit idem, quod hoc saeculo nostro cel. HALLERUS.

Anno autem 1755, brevi post MONTÉSQUIVII mortem, quintum lexici encyclopaedici volumen editum est, cui praemissus D'ALEMBERTI *Panegyricus* saepius jam citatus. Mox idem subjunxit *operis de Ingenio Legum analysin*. Quâ scribendâ propositum sibi esse dixit D'ALEMBERTUS, ut monstraret, justo ordine aut nexu minime carere MONTESQUIVII opus. Et reverâ omnia ejus enunciata universalia de legibus et regiminibus in unum systema redegit, idque perfecit logice, perspicue, concinne, pro egregio suo scribendi more.

Hae laudes *Analyseos* scriptori negari nequeunt; at, me quidem judice, rite nosci non potest MONTESQUIVIUS ex ratione, quâ de ipso disseruit D'ALEMBERTUS. Vix enim adtendit, quae apud Auctorem, et amplum et primarium obtinent locum, scilicet singularia cuivis genti propria, quae in politicam vel moralem conditionem vim suam exerceant, legum suasoria ex historiâ petita;

---

(1) DE CATANEO, op. cit. p. II, c. 7 sqq.; p. III, c. 1, 2. Eandem sententiam de societatum institutione divinâ tuetur idem in opusc. *Essai sur l'origine naturelle des gouvernemens politiques* (Hagae C. 1753).

priscas consuetudines, etc. Si tamen haec tollantur, etiamsi reliqua ipsis tradantur Auctoris verbis, aliae exsistere debent sententiae, quam quas MONTESQUIVIUS proferre voluisset. Ergò male comparatum videtur opus *de Ing. Legum*, quod in compendium redigatur, perinde ac quodvis philosophicum vel historicum scriptum aliquâ laude dignum (1). Verùm id egit semper D'ALEMBERTUS, ut et alias et politicas disciplinas in theorematum formam redigeret, ad instar *exactarum*, quae dicuntur, *scientiarum*; nec a methodo suâ se abstinuit, quum MONTESQUIVII opere uteretur ad propositum illud promovendum.

Haud omittendas hîc esse censeo *Anonymi* animadversiones ad A. N., quae paulò post in ed. Hollandicâ operis prodière. Solet ille commentator, licet magnam profiteatur MONTESQUIVII venerationem, severe eum reprehendere, ubicumque nexûs aut logici ratiocinii defectum adesse putat. Sed quid plura? editiones enim operis, junctis *Anonymi* notulis, in patriâ adhuc plerorumque manibus versantur (2).

---

(1) D'ALEMBERT, *Analyse de l'E d. L.* (ed. 1805, v. I), pag. *xlv—lxviij*. Ceterùm cf. quae supra c. I, § 3 et locus HERRENI cit.. Petiverat D'ALEMBERTUS (1753) a MONTESQUIVIO duos lexici Encyclopaedici articulos, v. *Despotisme* et *Démocratie*; sed A. N. respondit, animos sibi deesse, ut rursus et amplius exponeret ea argumenta in magno Opere jam explicita; scribere maluit ad v. *goût*. Eâdem epistolâ (16 Nov. 1753, ed. 1826, v. VI, pag. 498) scribit: »J'ai lu votre discours préliminaire" (I vol. *Encycl.*); »c'est une chose forte, c'est une chose charmante, c'est une chose précise; plus de pensées que de mots; du sentiment comme des pensées et.... je n'en finirais point."

(2) Jam notum est, *Anonymum* illum fuisse cel. ELIAM LUZAC, auctorem scripti praeclari *de Hollandiae opibus*. V. supra, pag. 147, n°. 3.

Minus nota, minus etiam quae noscantur digna sunt duo scripta eodem anno (1758) edita, Auctore PECQUET. Horum prius denuo *Analysis* dicitur; et 15 capitulis continet quaecumque utilia operi Montesquiviano inesse existimat Criticus; missis, ut par est, historicis disquisitionibus et mutatis interdum placitis, quoties aliam viam sequendum esse putat (1). Altero libello dicit, se ulterius perducturum opus *de Ingenio legum*. Illo nempe agitur *de Ingenio praeceptorum politicorum;* quo theoria continetur ethico-politica de eo, quod imperantium sit officium circa bellum, pacem, foedera et mercaturam. Ejusmodi autem res ex historicis exemplis disci non posse perhibet, quoniam a rectâ agendi ratione saepe adeo recesserunt principes. Sic exorsus, in ceteris etiam nihil cum Auctore N. commune habet (2).

Neque plus laudis consecuti sunt omnes fere, qui aut imitari MONTESQUIVIUM aut ejus opera supplere conati sint. Uti enim *Epistolis Persicis* complura insecuta sunt collectanea pseudonyma ad harum exemplar confecta, e. g. epistolae *Sinenses*, *Judaicae*, *Anglicae*, *Athenienses*, *Turcicae*, *Mamelucienses*, *Orientales*, *Moscoviticae*, etc.; ita quoque MONTESQUIVII fama multos induxit, ut scriberent *de Ingenio morum*, *de*

---

(1) PECQUET, *Analyse raisonnée de l'E. d. L.* (Paris 1758). Sequius adhuc ejusdem generis opusculum *le Génie de* MONTESQUIEU (Amst. 1760), jam supra memoravi. Auctor fuit ALEXANDER DE LEIRE. Simile item memoratur *Extrait du livre de l'Esprit des Lois* par VÉRON DE FORBONNAIS (Paris 1750).

(2) *L'esprit des maximes Politiques, pour servir de suite a l'E. d. Lois du Président* DE MONTESQUIEU, *par M.* PECQUET (Amst. 1758). Cf. inprimis praef. pag. *xiij;* l. I, c. I, pag. 12.

Ingenio religionum, *de Ingenio gentium*, etc. Ea verò omnia singillatim recensere hujus loci non est.

Fuêre etiam, qui de iisdem argumentis cum A. N. scribentes, ejus methodum lubenter imitarentur, licet ad aliam sententiam vergerent. Quorum palmam tulit praestans historicus et libertatis politicae patronus MABLY (1).

Postea, proxime ante rerum conversionem, JCtus HÉRAULT DE SÉCHELLES, existimans MONTESQUIVIUM argumentum suum non satis elaborasse, consilium suscepit in legum suasoria et causas inquirendi per totum orbem terrarum; verùm quod sibi proposuerat, opus nunquam ad finem perduxit, turbis civilibus nempe impeditus, quarum pars magna fuit; ac denique iis occubuit (2). *Universam legumlationis historiam* mutato HÉRAULTII schemate (1812 sqq.) condidit cel. PASTORET. Haec verò mittamus.

Post aliquot annos denuo (1764) *Observationes ad opus de Legum Ingenio* prodière Auctore cel. CREVIERIO, qui minutiis quidem plerùmque inhaesit, attamen complures mendas operis magnâ cum ἀκριβείᾳ detexit et humano loquendi more usus est, quantùm ad Romanam historiam adtinet; sed flocci pendendum vi-

(1) Potissimùm loquor de MABLII opere *De la législation, ou Principes des lois* (Amst. 1777). Item Auctoris N. vestigiis institère varii scriptores in *Essais sur l'Esprit de la législation, pièces couronnées par la société Economique de Berne* (Paris 1766, II v. 8°). Porro memorandi LINGUET, *Théorie des lois civiles* (Paris 1767) II vol. in 12°; GOGUET, *De l'origine des lois* (Paris 1758).

(2) Cf. HÉRAULT DE SÉCHELLES, in *Visite à* BUFFON (1785), cit. ap. v. cl. TYDEMAN, *Regtsgeleerd Mengelwerk*, 1811, pag. 274 sqq. in notâ ad FEUERBACHIUM, *Blik op de Duitsche regtsgeleerdheid.*

detur ejus judicium, quoties ethica vel politica argumenta tangit. Ita e. g. vitio vertit Auctori, quod Anglorum constitutionem laudârit, id factum perhibens in Franciae gentis contemtum; porro deesse in Opere illud, unde maxima oritur legum vis et efficacia, sanctionem divinam legumlatorum, et Dei timorem; luxum et foenus salvâ religione admitti non posse, alia (1).

Denique Criticorum illius aevi dux et magister VOLTARIUS, proximo ante obitum anno (1777), juvenili quodam ardore *Commentarium in placita quaedam praecipua operis de Ing. Legum* conscripsit, ubi et methodum universe et singulares errores vituperat. De quibusdam observationibus vidimus; ceterae minutias potius spectant, eòque minus dignae sunt quae iterum perpendantur, quoniam VOLTARIUS haud rarò, dum Auctoris vitia carpit, ipse negligentiae arguendus est. Omnium autem id aegerrime tulit, quod MONTESQUIVIUS parlamentorum potentiam, et munerum venalitatem laudàrit, et quod magna operis pars contineat disputationem de Juris Francici barbaricâ origine et feudorum historiâ. Talia philosopho indigna existimat, nec quicquam ex iis disci posse (2).

Porro, inde a VOLTARII obitu ad DESTUTTI *Commentarium* primùm editum, duo tantùm opuscula de hoc

---

(1) CREVIER, *Obs. sur l'E. d. L.*, pag. 8, 72 sqq., 100 sqq., 120—150. Lecto MONTESQUIVII opere a religione Christianâ alienatas fuisse hominum mentes docnêre etiam Jesuitae in *Diario Tivurtiensi*, Junio 1761, pag 1612.

(2) CONDORCET, *Remarques sur le* XXIXme *livre de l'E. d. L.*, subj. edd. DESTUTTI, Parisiensi et Leodiensi 1817, item Parisiensi 1822 et versioni Germ. cit. auct. MORSTADT, v. II, pag. 195—231. — De MONTESQUIVIO universe duo parvi ponderis scripta anno VI edita Parisiis auctt. BARRÈRE et DE LA CROIX. — Cf. QUÉRARD, l. c. pag. 240, *b*.

argumento prodière; alterum est CONDORCETI acre judicium *de libro XXIX Operis*, quae junctim cum Europeis DESTUTTI editionibus in lucem prodiit (1). Flagranti odio motus in *antiqui regiminis* vitia, CONDORCET, quum in mediâ rerum conversione librum illum legeret, non satis illo praestitum esse pronunciavit, et exprobrare incepit MONTESQUIVIO teporem in causâ suâ tuendâ, ignaviam et angustas, ut ita dicam, notiones; tùm etiam doluit, quod parlamenti praeses saepe adeo mores et solemnitates tueatur antiqui processûs judiciarii.

Aliter se habet paulò junior libellus, absque auctoris nomine editus, titulo *Addendorum* seu *Adnotationum*. Ibi enim ad singulos locos adferuntur argumenta MONTESQUIVII effatis confirmandis idonea, quae Auctorem omisisse putet commentator; rarissime ab ipso dissentit (2).

Ultimo loco recensendus, inter ceteros autem eminet: »quantùm lenta solent inter viburna cupressi," DESTUTT DE TRACY; de quo non dubito meam facere sententiam doct. WEITZEL, »tantò utiliorem et praestantiorem esse ejus commentarium ipso MONTESQUIVII opere, quantò melius hodie disciplinae pleraeque cognoscuntur et excoluntur, quam saec. praec. medio" (3). Verùm

---

(1) VOLTAIRE, *Comm.*, c. XXVII et ib. *des Francs.*

(2) *Additions en forme de notes au livre de l'E. d. L.*, Paris 1798, 8°. Gravissima quaestio, de quâ ab Auctore dissentiat, ea est, num ex PLUTARCHI loco in PELOPIDÂ, c. 34: »*Λαμπρὸν δέ τὸν ἔρωτα ταῖς παλαίστραις ἐνεθρέψαντο συγκερανόντες τὰ ἔθη τῶν νεῶν*," existimari debeat, Thebanos nefandae Veneri palam favisse, necne. Affirmârat MONTESQUIVIUS *E. d. L.* IV. 8 extr.; negat auctor *Addendorum*, pag. 17. Fuit is v. ampl. VAN LIJNDEN VAN BLITTERSWIJK.

(3) WEITZEL, *Gesch. d. Staatsw.*, v. I, pag. 217.

simul cum MORSTADTIO fatendum videtur, perperam librum illum *Commentarii* nomine appellari; namque omnia ferme, de quibus scripsit MONTESQUIVIUS, denuo tractavit, aliter plane intuitus est DESTUTT DE TRACY. Porro, uti A. N. monarchiam, ita hic democratiam semper potissimùm respexit, quippe dum opus scribebat, civis erat Americae Septentrionalis (1). Europeis igitur politicis minus fortasse convenit.

Hîc desinit series eorum, qui Francicâ linguâ *de Legum Ingenio* scripsêre (2), quae cum verear ne imperfecta sit, multò magis dubitandum, an accurate tradere possim, quaenam exteri aliis sermonibus de MONTESQUIVIO scripserint. Breviter absolvam. E Germaniâ philologicae maxime animadversiones prodiêre, supra memoratae; BACHII, de legibus Romanis saepe a MONTESQUIVIO dissentientis, HALLERI senioris, ERNESTII, nec non cujusdam DESING mentio facienda est, qui opusculo Latino rubricam inscripsit: *Spiritus Legum solidus an et bellus?* (3). Eodem tempore (1753) Ger-

---

(1) Cf. MORSTADT in praef. — DESTUTT DE TRACY (v. Germ.) *Comm.* v. I, pag. 193, 318 sqq. et passim. Quî igitur accidit, ut memorato hoc *Commentario* dicat V. RAUMER, *Gesch. Entw.*, pag. 146: »Nach solchen Beispielen sollte man glauben, die Franzosen wären noch nicht einmal wieder bei MONTESQUIEU angelangt, und die Liberalen von 1819 mit denen von 1790 ganz eines Wesens"? — Quippe cel. DESTUTT, qui, dum NAPOLEON Franciae praeesset, Philadelphiae opus suum conscripsit (1811), tunc non facile praevidere poterat, quae foret (1819) ipsius et *liberalium* in Franciâ *partium* conditio.

(2) Possunt huc referri duae academicae scriptiones de *meritis et effectu* MONTESQUIVII *universe*, praemio ornatae, altera ab acad. Parisiensi, 1817, auctore VILLEMAIN (hanc jam saepius citavi); altera ab acad. Burdigalensi, 1835, auctore ANNAT, quae prelo mandata non est.

(3) Editus liber Passaviae 1753. Cf. V. HALLER, *Restauration*, v. I,

manice expressum fuit Opus; similiter exinde in plerosque Europae sermones (1).

In Angliâ, diaria laudibus extulêre opus *de Ingenio Legum*, attamen duo acerrima prodiêre critica scripta, quae religionem et antiquitatis Romanae locos spectarent (2).

Romae Indici reprobatorio insertus est liber, quamvis legatus Francicus, Dux NIVERNIENSIS, ne hoc fieret impetrare conatus sit a Pontifice BENEDICTO XIV (3). A Sardiniae rege CAROLO EMANUELE III summo favore exceptus, inter doctos Taurinenses non nisi laudatores invenit. Unum tamen ibi Criticum habuit, professorem quendam GERDIL, cujus *Observationes* MONTESQUIVIO ipsi

---

pag. 59. BACHIUS scripserat in diario, *Unparteiische Critik*, supra cit. 1751; HALLERUS in *Göttingischen Anzeigen*, 1753; ERNESTIUS in *Opusculis philologicis*, 1761. Opus JUSTII titulo *Geist der Gesetze*, (1750) jam memoravi.

(1) Ex hisce ad notitiam meam pervenêre: versio *Anglica* auctore THOMÂ NUGENT, Londini 1750 (de quâ v. MONTESQUIVII èpistola 18 Oct. 1750; ed. 1826, v. V, pag. 456); *Italica*, auct. abb. GENOVESI, Neapoli 1778, auctior est ed. Mediolani 1819, Florentiae 1821, cum notis MONTESQUIVII, *Anonymi*, GENOVESII et Editorum; *Germanica* altera, auct. HAUSWALD, cum ejusdem notulis, Görlitzii 1804; *Belgica*, horrida (*de Aart der Wetten*), Amst. 1771; melior (*de Geest d. W*), auct. Jcto D. HOOLA V. HOOTEN, cum notulis ejusdem et *Anonymi*, Amstelodami 1783; *Hispanica*, auct. LOPEZ DE PENALDER, juncto DESTUTTI *Commentario* et CONDORCETI *Animadversionibus*, Madriti 1822.

(2) Ecce eorum titulos: *Examen of the dangerous principles contained in a book, lately published, entitled l'E. d. L.* et *Enquiry into the nature of the Roman law, sofar as it has connexion with the constitution of their civil government, wherein is particularly shown the gross Blunder, the Author of l'E. d. L. has fallen into, on that head;* utrumque ed. 1750 vel 1751. — Cf. BACH, in *Unp. Critik*, 1751, II B., III St., n°. III, pag. 234.

(3) Ed. 1826, v. VI, pag. 439.

missae, antequam prelo mandarentur; haud affirmare ausim, unquam eas editas fuisse. Doctus quidam Florentinus BERTOLINI opus conscripsit, ut MONTESQUIVII placita compararet cum sententiis Veterum classicorum, quod a. 1767 nondum in lucem prodierat (1).

§ 2. *Quam vim habuerit Opus* MONTESQUIVII *in prudentiam politicam Europearum gentium, inprimis Francorum.*

Medio saec. praec. in duas factiones diversas abierant literati et politici Franciae; quarum alteram tuerentur clerici rigidi et severi (saltem quod ad dogmata adtinet), et nobiles privilegiorum non solùm tenaces, sed antiqui cujuscumque moris patroni et laudatores, exiguus etiam eruditorum numerus; altera novae philosophiae praeconibus constaret, praestantissimis ingenio viris gloriaretur, nec minores numero sectatores haberet ex ipso clero et nobilitate, quam prior. Neutra autem hucusque (1749) politicis contemplationibus seriò operam dederat; namque illi sibi prodesse sentiebant rerum conditionem praesentem, quum a regiâ aulâ omnia penderent; hi ad philosophorum Anglorum effata provocare solebant et lubenter in literatorum conviviis ridebant, de magno discrimine inter Franciam, uti sese habebat, et illam conditionem, quam societati civili convenire docuerant SIDNEIJUS, LOCKIUS, alii; ulterius nihil agebant. De veris juris et historiae peritis, quorum pauci in Franciâ erant, non loquor; nam horum scripta ignota manebant cultiori societati, nisi contumeliâ etiam afficerentur (2).

---

(1) *L. F.* 43, 55 notâ.

(2) Ita ex eorum, quibuscum vivebat, ratione locutus VOLTARIUS,

Unus MONTESQUIVIUS, qui et necessitudine junctus erat elegantioribus illis philosophis, et variâ maxime eruditione eminebat, unus hic, inquam, idoneus apparuit, qui ad seria revocaret istorum levitatem. Quin imò de antiquitatis propugnatoribus sperari poterat, ipsos, lecto opere *de Ingenio Legum*, conciliatum iri doctrinis humanitatis et sanae politicae prudentiae.

Talem operis efficaciam MONTESQUIVIO in votis fuisse, supra vidimus. Nec aliud designare voluit ordinis ille Melitensis praesul, qui perlecto opere vaticinabatur, »in Franciâ sententiarum et animorum conversionem exstituram" (1). Verùm, initio saltem, spem fefellit eventus. De ecclesiae illis et regiminis antiqui propugnatoribus, qui *aras et thronum* tuenda profitebantur, jam praec. § vidimus, quantâ vehementiâ aggressi sint quaecumque in MONTESQUIVII opere *novam philosophiam* olerent.

At, quamvis, ob ipsas illas contumelias in ecclesiasticis diariis obvias, abstinuerint sese VOLTARIUS, DIDEROT, HELVETIUS, alii, a palam proferendis suis animadversionibus, satis tamen superque apparuit, non eximie ipsis placere methodum et historicum studium N. Auctoris.

---

quum diceret, *Essai sur les moeurs, préface*, se doctis LARCHERII animadversionibus in *Philosophiam historiae* respondisse; »comme doit faire un homme du monde, en se moquant du pédant." — SCHLOSSER, *Gesch. d.* 18ten *Jahrh.*, v. I, pag. 417; »Poësie, Geschichte, Religionswissenschaft, Staatsrecht sind Weltleuten durch Inspiration eigen; ein Pedant muss sie sich durch ein Studium erwerben, das ihn stumpf macht; das behaupten im Grunde BOLINGBROKE, POPE, SWIFT, wie VOLTAIRE, und der Marquis D'ARGENS."

(1) *L. F.* 28, n. 2. »Lorsque le Grand-Prieur DE SOLAR eût lu la première fois *l'Esprit des Lois,* il dit: Voilà un livre, qui opèrera une révolution dans les esprits en France."

Quâ de re exstat maximi momenti epistola, quam antequam prelo mandaretur opus, ei scripsit HELVETIUS, cui MSti copiam fecerat. Ibi ex suâ sententiâ exponit, quid germano philosopho de rebus politicis scribenti agendum fuisset, scilicet, ut abstracte ratiocinatus, pura sibi principia constitueret de eo, quod praestare deberent imperantes; ut ostenderet, quantùm abesset, quin talia praecepta cum institutis moribusque aequalium convenirent; tandem ut doceret, quomodo leges condendae forent. Haec omnia fatetur HELVETIUS neminem adhuc praestitisse; se verò a MONTESQUIVIO exspectasse, qui, quum aliam viam secutus fuerit, philosophorum laudibus cariturus esset (1).

Nec alienae sunt illae sententiae ab ingenio eorum philosophantium, qui rem levem et laetam fore judicabant omnium institutorum et opinionum receptarum conversionem, dum simul aulam et proceres sectarentur, privilegiis inhiarent vel abuterentur (2).

Unus ex illâ scholâ, ceteris virtute et doctrinâ longe praestans, D'ALEMBERTUS aequalibus identidem *disciplinarum exactarum* studia commendabat, ut seriis potius rebus ingenium applicare discerent, et melius investigare naturam humanam. Quò etiam tendit ipsum Encyclopaedicum opus. Hic item MONTESQUIVIUM inprimis legendum et laudandum censebat, ut de politicis practice et consultò agere discerent, non ut plene ejus effatis

---

(1) *Lettre* D'HELVETIUS *à* MONTESQUIEU, primùm ed. ad calcem ed. 1795, porro 1818 et 1826, v. V, pag. 297 sqq.

(2) Egregie NISARD, *Histoire de la littérature Fr.*, pag. 170: »L'impartialité! Voilà ce que les Encyclopédistes n'aimaient pas dans *l'Esprit des Lois.*" — Cf. LERMINIER, *Introd.*, pag. 159, 184.

inhaererent. Hinc repetendum dictum illud: »Veris et peritis judicibus opus fuisse, ut complures leviores homines MONTESQUIVIUM *admirari discerent*" (1).

Magnus editionum numerus, quae continuò prodière, argumento est, quanto studio lectum exinde fuerit opus; verùm scriptores philosophici illi nonnisi singularia exempla lubenter ab eo describebant, aut ipsius effata de despotismo et superstitione amplificabant, non, uti Noster, Franciae monarchiam, sed universe democratiam commendantes (2).

Verùm, quod ad juris publici adtinet disciplinam, mox in Franciâ exstitit nova ratio et auctoritas, quae, magis etiam quam Montesquiviana, hominum mentes allicere videbatur, nempe ROUSSAVII, primùm edito (1761) *Contractu Sociali*, postquam jam pridem (1754) magnam sibi famam pepérisset, scripto de *hominum inaequalitate* responso ad quaestionem Academiae Divionensis. Nemo, ut opinor, a MONTESQUIVII ratione longius divertere potuit, quam ROUSSAVIUS. Hic enim, moestis cogitationibus ut erat assuetus, ad vituperandum et dolendum pronus, nullo duce aut praeceptore usus secum constituit, contemtâ omni decessorum sapientiâ, integram disciplinam denuo instaurare.

Ut de civitatis constitutione dissereret, incepit dubitando de hominis naturâ, num ea reverâ a reliquis

(1) D'ALEMBERT, *Éloge*, pag. *xxvij*: »On traita légèrement *l'E. d. Lois*; le titre même fut un sujet de plaisanterie; enfin, l'un des plus beaux monumens litéraires, qui soient sortis de notre nation, fut regardé d'abord par elle avec assez d'indifférence. Il fallait, que les véritables juges eussent eu le temps de lire; bientôt ils ramenèrent la multitude, toujours prompte à changer d'avis," etc.

(2) E. g. BOULANGER, *Du despotisme oriental*, § extr.

animalibus differat, cùm physice, tùm moraliter; utrumque discrimen adesse fassus, negat tamen, vitam socialem ex hominis naturâ necessariò sequi, et celebratum illud paradoxon tuetur; *humani generis mala magnopere aucta per societates civiles conditas.* Jam, quum *de pacto sociali* scribere aggrederetur, haec eadem ratiocinii fundamenta esse debuêre. Nunquam pactum illud valere ad hominis felicitatem promovendam magis quam *statum naturalem;* ubi autem necessitate coacti sint homines ad ineundam societatem, nullam admitti posse, nisi in quâ imperantium actûs proficiscantur ab *omnium* voluntate. Omnem practicum usum respuit haec theoria; saepius etiam pronunciavit ROUSSAVIUS, pactum, quod fingebat, nunquam exstitisse, neque adesse posse universitatis illud summum imperium, quod expetendum docebat (1).

Quâpropter non opus est, ut ulterius eam doctrinam indagemus. Iis autem locis, ubi varias antiquorum et recentiorum leges ac regimina comparat cum notione perfectae civitatis sibi efformatâ, apparent aliquoties MONTESQUIVII operis diligenter lecti vestigia (2).

Multò magis ea conspicua sunt in illo scripto, ubi practicis consiliis dandis invitus fere et verecundus accessit ROUSSAVIUS. Namque in ejusdem *Monitis ad Polonos* (1772) cernimus, neutiquam ipsum cogitasse de universali quâdam regiminis formâ in omnium usum conferendâ; quum contrà Polonis dissuadere conetur ni-

---

(1) V. ROUSSEAU, *Disc. sur l'inégalité parmi les hommes*, maxime prooemio, p. II et notâ 10. *Contrat Social*, L. I, c. 2, 5, 6; II. 4, 8; III. 4, 15, 17.

(2) E. g. *Contrat Social*, II. 9, 10; III. 4—8.

mias aut subitas mutationes; exhortetur porro, ut patriae legibus et moribus propriis inhaereant; regiminis etiam antiquam servandam dicat formam (monarchiae electivae), dummodò temperetur aliquantùm potentia ordinis Equestris, ut aequilibrium potestatum exsistat, etc. (1). Tales autem locos vix respiciebant aequales; plerique lectores e ROUSSAVII operibus nil discebant, nisi haec: populo summum imperium deberi, democratiam laudandam esse, et quaecumque ipse ad meram contemplationem retulerat. Ita multùm obfuêre illa scripta studiis historiae philosophicis, quae commendârat MONTESQUIVIUS.

Eodem autem tempore lubentissime ejus auctoritate nitebantur illi, qui *jus publicum Francicum* tueri frustra conati sunt, ut caveretur a despoticis formis, item ne deprimerentur parlamenta; quorum adeo patroni tandem victi (1771), non infeliciter demonstrare tentârunt, leges violasse et male de patriâ meritum esse Cancellarium DE MAUPEOU. Hâc opportunitate saepe laudârunt A. N. (2).

Interea magis magisque novae doctrinae saeculi 18[i] inter omnes fere hominum ordines receptae erant. Adparere etiam coepit in consiliis et actibus imperantium illius mutationis initium, quâ tandem evenit, ut singulae eorum res gestae ejusdem momenti fierent ratione disciplinae politicae, atque libri antea fuerant et systemata. Quum verò primae legum emendationes princi-

---

(1) ROUSSEAU, *Sur le gouvernement de la Pologne*, c. 1, 4, 6, 7, 14.

(2) *Maximes de droit public Français*, v. I, p. II, pag. 171, 174, 209; v. II, p. III, pag. 31. Cf. ANCILLON, *Zur Vermittlung der Extreme* (Berlin 1828), v. I, pag. 282.

pibus deberentur, quorum complures humanitatis amore praestantes eodem tempore habuit Europa, haud mirum est, paulisper, ut ita dicam, *quievisse democraticas doctrinas*, et ad MONTESQUIVIUM *rediisse vulgi opinionem*.

Eximium argumentum auctoritatis, quâ penes nonnulles politicos reverâ valebat, est rescriptum CATHARINAE II ad novi Codicis Russici confectores, ubi consilia de re forensi emendandâ et monarchico regimine stabiliendo, non modò e MONTESQUIVII sententiâ, sed et ipsis ejus verbis traduntur (1).

Quam primùm eâ ratione sincerum studium subditorum salutis et sanae politices prodidissent imperantes, quales fuêre JOSEPHUS II, LEOPOLDUS Tuscorum dux, LUDOVICUS etiam XVI; ubivis intenti sunt hominum animi, ut philosophiam a meris commentis et ingenii lusibus revocarent ad vitae usum; suae quisque patriae infortunia et causas et remedia detegere studuêre; omnia regibus humiliter deferebantur; omnia ab iis exspectabantur; id tantùmmodo urgendum putabant cives, ut ne illi cunctarentur salutaria consilia exsecutioni mandare (2).

---

(1) V. *Instructions adressées par l'Impératrice à la Commission*, etc. (primùm ed. Petropoli 1769), art. II, n°. 9; III, n°. 18; IV, n°. 22, 28—30; (ubi commendatur judicum collegium, quod *legis* sit *depositarum*); IX, n°. 113: »En Turquie, où l'on fait très peu d'attention à la vie et à l'honneur des sujets, on termine promptement d'une façon ou d'autre toutes les disputes, la manière de les finir étant indifférente, pourvu qu'on les finisse; mais dans les Etats modérés, où la tête, les biens et l'honneur du moindre citoyen sont considérables, on ne lui ôte son honneur et ses biens, qu'après un long et scrupuleux examen." Verbotenus haec descripta sunt e loco *E. d. L.* VI. 2.

(2) Cf. WEITZEL, *Gesch. d. Staatsw.*, v. I, pag. 245. Tunc etiam in

Hujus temporis, hujusque opinionis universe fere receptae vim nullum scriptum magis prodit, quam FILANGERII celebres *de legumlatione* libri (1) (editi 1780), in quibus simul efficacia Montesquivianae operae maxime conspicua est.

Aliud quidem plane sibi esse dixit propositum FILANGERIUS, ut scilicet ageret de legibus ferendis, quum Noster leges jam latas spectavisset; saepius etiam universalis doctrina ipsi adhibenda fuit, et prolixiori usus est sermone; attamen in argumentis distribuendis, in notionibus, quas sibi de libertate, de imperio, de institutione efformavit, salvo discrimine temporis ac regionis, ubique perlucet MONTESQUIVII studium, quem sane sexcenties citat (2). Quod ad ingenii praestantiam adtinet, FILANGERIUS aequiparari cum A. N. non potest,

---

VOLTARIO nullum amplius apparuit democratiae studium. V. e. g. *Prix de la justice et de l'humanité* (1777), art. XXVIII: »Voyez presque tous les Souverains de l'Europe rendre hommage aujourd'hui à une philosophie, qu'on ne croyait pas, il y a cinquante ans, pouvoir approcher d'eux. Partout de nouveaux etablissemens pour encourager le travail, et par conséquent la vertu; partout la raison fait des progrès, qui effraient même le fanatisme. La discorde n'est plus que dans l'Amérique boréale. Les Souverains ne disputent, qu'à qui fera le plus de bien."

(1) FILANGIERI, *Science de la législation* (Paris, an VII), préf. pag. *xi*: »l'Europe est devenue aujourd'hui l'empire de la paix et de la raison." De FILANGERIO cf. WEITZEL, *Gesch. der Staatsw.*, v. I, pag. 250 sqq.

(2) Octofariam leges considerandas dicit FILANGIERI, *Science*, l. I, c: 10—18; scil. ratione naturae regiminis, principii regiminis, populi indolis, climatis, soli, sitûs regionis, religionis, denique pro gradu cultûs, quò pervenerit populus. Tantùmmodo, ubi de ultimo illo agit, nihil e MONTESQUIVIO petit. Fuère etiam, qui FILANGERIUM nuncuparent *Italiae Montesquivium*, teste CHÉNIER, *Tableau de la littérature Française*, ch. II.

sed tot tantique fuerant progressûs disciplinarum huc pertinentium per 30 illos annos (1750—1780), ut nonnumquam ille multò disertius patefacere potuerit, quid deesset, quî emendandum foret, quam id a MONTESQUIVIO factum fuisset, e. g. de delictis et ea persequendi ratione, de pauperum educatione, etc. (1).

Notum est, magnis laudibus cumulatum fuisse Auctorem *Legislationis scientiae*, atque ejus consilia adeo placuisse regi FERDINANDO IV, ut constitutionis secundum ejus placita experimentum facere voluerit in parvâ civitate S. Leuciae, verùm a proposito illo et philosophiâ politicâ universe deterritus est, simulac exstiterit Francica rerum conversio. Tunc tota Europa novis curis agitari coepit. Videamus, an ad hoc quoque tempus referenda sit operis *de Ingenio Legum* efficacia.

Citò apud Francos evanuerat certa illa fides, fore ut mox imperantium operâ tollerentur, quaecumque libertati et prosperitati gentium obessent. Et reverâ, postquam TURGOT abierat ex consilio Regis, increscente in dies fisci inopiâ, nullus LUDOVICI minister fide dignus videbatur, nisi NECKERUS, qui ipse urgeret, ad populum provocandum esse. Hinc omnium angor ille et continua mutatio eorum, quibus munera deferrentur, ab initio inde anni 1787.

Omnes autem tunc id agebant, ut aerarii angustiis subveniretur, et melior tributorum ratio in usum conferretur. Doctrinis politicis ad ipsam regiminis formam adplicandis, demum post diem dictum coetui Ordinum, studere coepit primùm SIEYES (scripto libello *de tertio Ordine*, Apr. 1789) porro MERCIER, alii.

---

(1) FILANGIERI, *Science*, l. III.

Tandem convenit exoptatus ille coetus et patuit, quae reverâ Francorum esset spes, e *mandatorum libellis* (*cahiers*), quibus instructi ordinum delegati a populo. Omnes mandantes constitutionem poscebant lege scriptâ comprehensam, monarchicam; alii autem, nil nisi antiquum jus publicum, parlamentorum potentiam (1), Ordines Generales ad rationem anni 1614, etc.; alii Anglicam Constitutionem in Franciam transferri volebant; alii pauci res novas magis populares recipi cupiebant. In eo consentiebant, ut Ordinum conventûs provinciales servarentur aut in usum reducerentur, ut ministri rationibus reddendis obnoxii essent; ut tributa publicanis adimerentur, nec unquam uti liceret literis sigillatis ad cives libertate privandos. Porro omnia ea mandata, et omnia universe scripta per rerum conversionem confecta id peculiare habebant, ut promiscue usurparentur nomina *Regis* et *potestatis exsecutricis*, quod idem apud MONTESQUIVIUM vidimus (2).

Itaque, si excipias jurium feudalium abolitionem,

---

(1) Parlamentum Parisiense (1788) aboleverat Rex. In *Remonstratione* hunc actum secutâ, Consiliarii pronunciarunt, ex antiquis legibus haec esse fundamenta juris publici Francici; 1°. successionem stirpis Borbonicae; 2°. ordines generales; 3°. provinciarum consuetudines; 4°. munera ad vitam dari; 5°. parlamenta negare posse edictorum inscriptionem; 6°. judices extraordinarios non dari; 7°. neque carcerem arbitrarium. Horum auctor fuit DUVAL D'ESPRÉMÉNIL, idem in Coetu Nationali vehemens novis rebus adversarius. — Cf. THIERS et BODIN, *Hist. de la révolution Française* (Paris 1825), v. I, pag. 22.

(2) *Discours du Vicomte* DE NOAILLES, 4 Aug. 1789 in *Choix de rapports, opinions et discours, prononcés à la tribune nationale, depuis* 1789 *jusqu'à nos jours* (Paris 1818 sqq.), v. I, pag. 71. — *Disc. du Comte* DE CLERMONT-TONNERRE, 27 Jul. 1789 ap. THIERS, v. I, pag. 387.

quam item omnes fere peterent, plerorumque sententiae non multùm aberant ab iis, quae verae monarchiae convenire pronunciaverat Auctor N. At simul altas radices ubivis egerant democratica placita, quae, initio magis occulta, in coetibus politicis Jacobinorum aliisque in immensum excrevêre. Hinc etiam factum, ut a mandatis magnopere saepius recesserint legis publicae conditores. Quorum tamen labores egregios breviter adtendam, argumenti mei ratione habitâ.

Eorum, quibus cura commissa fuerat redigendi *legis publicae* speciminis, initio saltem, celeberrimi erant MOUNIER, LALLY-TOLENDAL, CLERMONT-TONNERRE, alii, quibus in Regis consilio suffragium suum addebat NECKER; omnes patroni et laudatores Anglicae constitutionis, quam integram in patriam suam transferre lubenter voluissent. Hi quum etiam solerent de Articulis elaboratis ad *Coetum constituentem* referre, non mirum est, eos ad MONTESQUIVIUM provocasse pro Anglicae constitutionis praestantiâ; spreto discrimine inter Francorum et Anglorum historiam, victum, indolem. Hinc apud multos praevaluisse videtur opinio, Auctorem N. Anglica quaevis temere Franciae commendasse, quam supra refellere conatus sum. Illorum autem virorum collegae, et coetûs inprimis major numerus, *repraesentativi* quidem regiminis laudibus detrectare nolebant; verùm *superioris camerae* institutum, quod jam ineptum Franciae videbatur post abolitam (4 Augusti) nobilitatem, proximo mense improbatum fuit; item partes Regis in legibus condendis valde coarctatae, quâ in re specimen illud Angliae institutis simile erat (1). Anglophilis in

(1) *Rapport de* CICÉ (27 Jul. 1789) in *Choix*, v. I, pag. 204.

ipso collegio, cui legis confectio mandata erat, adversabantur novarum plane rerum fautores, SIEIJES, uterque LAMETH, BARNAVE, DUPORT, PÉTION. Hi sive doctrinas suas a ROUSSAVIO, quem lubenter laudarent, sive aliunde petierint, id ante omnia agendum censebant, ut *summum populi imperium* in novâ constitutione appareret. Magnam his auctoritatem in collegio illo addidit THOURET, historicae Franciae peritissimus, qui vestigiis insistens MABLII, perscrutatus eam fuerat, ut democratiae principia quaereret; jam verò fatebatur, institutis jam dudum receptis ita obliterata esse libertatem et jura hominis originaria, ut restitutio etiam antiqui regiminis cum parlamentis et ordinum conventibus parùm securitatis praeberet; quum autem dubium esset, num Franciae commodis prospiceretur extraneâ constitutione invehendâ, potius novae legis condendae fundamenta esse oportere nova placita, populo quam plurimùm faventia. Summus orator MIRABEAU in *Coetu constituente* his partibus plerùmque auxilio fuit (1).

De MONTESQUIVIO identidem urgebant, ejus monita non amplius Franciae conditioni convenire; neque satis eum praestitisse, quum de legibus condendis parùm scripserit; ceteroqui meritas ei laudes non negabant (2).

Disc. de LALLY-TOLENDAL, 17 Aug. ib. I, pag. 232. Ejusdem, 31 Aug. ib. pag. 255. Maximus antea legis Anglicae laudator DELOLME, *Const.*, introd. pag. 2, fassus tamen erat, se judice, eam non convenire cuiquam continentis Europae populo.

(1) Cf. LALLY-TOLENDAL, *Discours à la chambre de la noblesse*, 15 Junii ap. THIERS, v. I, pag. 352 n. 3; MIRABEAU, *Disc.* 15 Jul. in *Choix*, v. I, pag. 51. PÉTION, *Opinion*, 1 Sept. ib. I, pag. 297 (11 Sept. causâ cecidit constitutio Anglica). THOURET, *Disc.*, 3 Nov. ib. I, pag. 373.

(2) C. DE LAMETH, *Disc.*, 6 Maji 1790 in *Choix*, II, pag. 198, ubi citatur: »MONTESQUIEU, dont l'ame n'était pas aussi hardie, que

Erant item in coetu, non in collegio minori, qui minime persuasum sibi haberent, antiquum Franciae regimen ita spernendum esse, neque igitur ulterius procedendum putarent, quam ut restituerentur Parium, parlamentorum, et Ordinum jura, porro ut aerario prospiceretur. Licet hi nunquam májorem numerum ad sententiam suam ducere potuerint, mentione tamen digni sunt, ob facundiam et eruditionem eximiam oratorum CAZALÈS et MAURY. Uterque perhibebat, monarchicam formam incolumem servandam, quod fieri non posset, nisi ordinum discrimine servato; hoc autem quum aboleretur, tamen exitium praeverti posse, dummodo Regi magna pars tribueretur potestatis legiferae; non id agi, ut omnia renovarentur, sed ut patria tuta praestaretur, etc. De successu desperantes, Anglicae constitutionis fautoribus comites sese junxêre, hujusque practicam utilitatem praedicârunt. Satis consentaneum est, eos, quorum talis esset mens, saepius ad MONTESQUIVIUM provocasse, cùm quando historica juris publici fundamenta, tùm quando Anglicas leges tuebantur, unde etiam A. N. ab adversariis nomen accepit *patroni regiae potestatis* (1).

De lege publicâ controversiarum eventus is fuit, ut unum reverâ plene e MONTESQUIVII sententiâ receptum fuerit placitum, nempe ut acute separarentur duae

---

le génie était profond." — Cf. CHABROUD, *Disc.*, 10 Aug. 1790 in *Choix*, III, pag. 441.

(1) MAURY, *Disc.*, 22 Martii 1790 in *Choix*, III, pag. 192. Idem, *Disc.*, 5 Maji, ib. pag. 399. BARNAVE, *Disc.*, 6 Maji, ib. p. 406: »Je dis aux partisans de l'autorité royale, en me servant de leur autorité favorite de MONTESQUIEU, qu'il est souverainement faux, que le pouvoir judiciaire soit une partie du pouvoir exécutif."

summmi imperii partes; tertiae sive judiciariae vis politica negaretur. Ita apparuit, alienam fuisse ab A. N. mente majorem coetûs constituentis partem, licet monita et loquendi rationes ex ejus operibus crebrò adhibita fuerint.

Quam absimiles essent doctrinae, quas plurimi libertatis patroni tuebantur, ab A. N. consiliis, patuit, quum ageretur de honoribus, qui tribuerentur jurium et humanitatis vindicibus quibusdam, ROUSSAVIO, VOLTARIO, aliis. Tunc petiit delegatus PRUGNON, ut inter hosce viros, MONTESQUIVIO statua decerneretur, subscripto VOLTARII effato: »*Le genre humain avait perdu ses titres*, MONTESQUIEU *les a rétrouvés.*" Fere nullus assensus haec suadenti obtigit; non quidem expresse negavit coetus statuae confectionem; at nunquam confici jussit. Nec immeritò; nam parùm sibi congrue egissent constitutionis conditores, si tali honore affecissent jurium feudalium et ordinum discriminis in Franciâ patronum (1).

Notum est, regis fugâ et exterorum principum foedere contra Franciam accidisse, ut novae legi publicae, omnibusque monarchicis institutis, etiam ante illius promulgationem (Sept. 1791) fidem habere desiisset populus. Hinc sententiarum crebra haesitatio, et fraudulenta et parùm sibi congrua multa in *Coetu legifero* obvia. Vix ullos monarchiae patronos ibi invenias, cui tamen fidem juraverant; omnibus ferme optabilis videbatur forma popularis regiminis (2). Itaque in isto coetu saepissime citantur systemata politica et theoriae, nunquam exempla memorantur historica. Nam fassi sunt

(1) PRUGNON, *Disc.*, 30 Maji 1791 in *Choix*, V, pag. 129.

(2) Cf. CONDORCET, *Disc.*, 9 Aug. 1792 in *Choix*, IX, p. 278.

in historiâ populorum nullam unquam apparuisse gentem, quae reverâ integra summo imperio gavisa esset, quod jamjam in Franciâ videre gestiebant.

Quid autem de *Conventu nationali* dicendum? Certe nec ejus actûs, nec constitutio Junio 1793 approbata, MONTESQUIVII suffragium tulissent. Aliqua verò ipsius auctoritas nonnunquam apparebat in controversiis tunc agitatis, quum de *democratiae* indole et principio ageretur. Mores enim populi reformandos, vitia exstirpanda esse, ut democraticae formae apta fieret Francia, urgebant inprimis ROBESPIERRE et S. JUST; contra et illi, quibus commissa legis publicae confectio, ex partibus Montanis, quae dicebantur, et delegati Garumnae, VERGNIAUD, BRISSOT, alii, satis fieri censebant, si jurium politicorum exercitium Francis omnibus aeque impertirentur, et imperantibus facultatem adimerent coarctandae ullius libertatis civilis (1).

De lege publicâ anni 1793 illâ, executioni numquam mandatâ, fatendum tamen est, ipsius placita certis notionibus politicis convenire, quae fervidos et sinceros haberent asseclas. Verùm per sequentes mutationes reip. in coetibus Francorum legiferis evanuit omnis justitiae et patriae amor; omnium animi eò dirigi coepêre, ut aut rempublicam ipsi gubernarent, aut ex ejus damno lucrarentur.

Itaque parùm proficiunt disciplinae politicae ex noscendis legibus publicis postea insecutis, quibus con-

---

(1) VERGNIAUD, *Disc.*, 8 Maji 1793 in *Choix*, XII, pag. 306. ROBESPIERRE, *Disc.*, 17 Pluviose an II, ib. XIV, pag. 11 sqq., et complures in eodem vol. ipsius et S. JUSTI orationes, inprimis, quam eloqui inchoârat (8 Thermidor) pridie novae rerum conversionis.

dendis mire versutus SIEYES plerùmque adfuit. Sic unice in commodum factionis tunc praevalentis comparata fuit constitutio anni III; et, quum legimus e. g. BOISSY D'ANGLAS oratione eam commendantem, simul laudes praedicasse Anglici regiminis, et hereditaria munera *portenti instar abominanda* docuisse, ut ea in concordiam redigantur, oleum et operam perdere nolumus; nam mere id agebat, ut oratoriis ornamentis res turpes condecoraret (1). *Constitutiones* item regiminis *Consularis* et *Imperialis* (Frim. VIII; Therm. et Fruct. X; Frim. et Flor. XII), licet Franciae turbatae conditioni fortasse aptae essent, atque ideo magni faciendae, nullâ doctrinae aut historicorum exemplorum specie commendandae videntur.

Tandem, dejectâ NAPOLEONTIS potentiâ, ferax demum legum publicarum tempus in Europâ exstitit.

Hae quantùm const. Anglicae, quantùm antiquitati et moribus cujusque populi, quantùm denique doctrinis philosophorum de juribus civium conveniant, singillatim exponere, hujus loci fines longe excederet.

Id unice animadvertendum, restauratis ubique monarchicae formae fundamentis, juris publici scriptores, plurimâ auctoritate gaudentes, democraticis illis et ROUSSAVIO praetulisse MONTESQUIVIUM; verùm jam quaestiones juris positivi evasisse omnes fere controversias saeculo praec. a philosophis agitatas.

Itaque hodie, ubi vigent leges publicae, neque universalia placita Auctoris N. neque singularia praecepta, quippe alii aetati accommodata, conveniunt (2). In re-

---

(1) Cf. WEITZEL, *Gesch. d. Staatsw.*, v. II, pag. 142 sqq.

(2) VON ARETIN, *Staatsrecht der Const. Mon.*, v. I, introd. passim.

liquà Europâ de jure civitatis, de libertate et similibus agi non multùm solet; omnium politicorum animi intenti sunt ad rerum gestionis commoda et incommoda; forma administrandae reipublicae multò pluris habetur, quam forma regiminis (1). Quaecumque autem eò spectant disciplinae (Germanis *Staatswirthschaft* et *Cameral-Wissenschaften*), statisticae ope et oeconomiae ad altum sane fastigium pervenêre.

Hic igitur subsistendum puto in exponendâ politicâ MONTESQUIVII efficaciâ.

§ 3. *Quid praeterea* MONTESQUIVIO *debuerit philosophia Juris positivi.*

Praeter illos politicos actûs, leges item et scripta, quae modò recensui, ex quibus adpareret N. A. efficacia, operae pretium esse puto, ut adtendatur, quantâ variis temporibus valuerit auctoritate, quod ad juris positivi philosophiam. Duplicem autem ejus operis efficaciam animadverti oportet:

1°. Ratione emendatarum legum crim. per totam fere Europam saec. praec.;

2°. Ratione scholae historicae Germanicorum JCtorum, quae quantùm juris positivi cognitioni profuerit, neminem fugit. Utraque laus num jure ipsi tribuatur, videamus.

---

(1) Ita jam docuerat POPE, *Essay on Man*, Ep. III, v. 303:

»For forms of government let fools contest,
Whate'er is best administer'd, is best."

A.

Primus eorum, qui saec. 18° jurisprudentiae crim. naevos detexêre, procul dubio cel. fuit CHR. THOMASIUS, qui et absurdas magiae accusationes, et quaestionem per tormenta e foris expellere conatus est, non sane felice cum successu (1). Saltem ab initio saeculi usque ad editum BECCARIAE libellum *de delictis et poenis* (1764), unica notabilis legum crim. mitigatio in Europâ accidit auctore FRIDERICO II, qui (1740) quaestionis usum in Borussiâ ad paucos casûs restrinxit (2): nec quisquam scriptor ex industriâ de exoptandâ in foris criminalibus mutatione egit.

Hinc accidit, ut pauca illa operis Montesquiviani capitula, quibus legum criminalium vitia tetigit, semper magni habita fuerint, licet fatendum sit, post BECCARIAE, VOLTARII, BRISSOTI, BENTHAMI labores, nos parùm ex iis proficere. Negligi tamen eò minus debent, quoniam ipse BECCARIA professus est, se, lectis MONTESQUIVII operibus, consilium primùm cepisse eâ de re scribendi (3). Sunt autem in *Epist. Persicis* complures quidem loci, ubi processûs crim. ineptias quasdam ludibrio habeat, attamen ibidem comparat leges Francicas cum Turcicis, eo unice consilio, ut suae gentis in puniendo lenitatem laudet (4); et *de Ing. Legum*

(1) THOMASII, dissertt. *de crimine magiae* et *de torturâ e foris Christianorum prohibendâ*, editae Halae, 1701 et 1705. Cf. de parvâ ejus efficaciâ v. cons. C. H. GOCKINGA, diss. *de doctr. juris crim. incrementis inde a saec.* 18° *mediâ jam parte elapso* (Groningae 1826), pag. 29 sqq.

(2) V. GOCKINGA, ib. pag. 36, n. 54.

(3) LERMINIER, *Introd.*, pag. 191.

(4) *L. P.*, 80, 138.

scribens, ait caute adhibenda, non tollenda esse in patriâ suâ supplicia e. g. haereseos, magiae, injuriarum (in principem) capitalia; item de furtis pronunciat, optimam sibi videri legem Angliae, ex quâ saepius fur deportetur; at rerum naturae non adversari poenam capitis adeo frequenter, uti in Franciâ fieri solebat, usitatam, porro patriae expresse commendat varios poenarum ordines, ratione habitâ delinquentium dignitatis. (1). Quam maxime absona haec videantur a laudibus, quas BECCARIAE discipuli, unâ cum ipso, soleant in N. A. conferre. Nos saltem existimare vetant, hunc consilia dare voluisse de poenis mitigandis; quod ne faceret, prohibebat etiam studium, quasi innatum, patriae institutorum, quibus severae sanciebantur poenae.

Verùmtamen, quum, uti de aliis multis, ita non uno loco de legibus crim. scripserit, abesse non potuit, quin praestans ingenio et humanitàte vir veluti sponte saniores de iis opiniones quasdam proferret, quam quae in foris saec. praec. vigerent. Duplici autem ratione de poenis disseruit:

1°. Ut ostenderet, earum severitatem aut lenitatem arcte cohaerere cum regiminis formâ;

---

(1) *E. d. L.* XII. 5, 12: »La loi ne peut guère soumettre les paroles à une peine capitale, *à moins qu'*elle ne déclare expressément celles qu'elle y soumet." De furto sic XII. 4: »Lorsqu'on viole la sûreté à l'égard des biens, *il a fallu*, que la peine capitale suppléât à la pécuniaire." In Franciâ tunc latrocinium et abigeatus rotâ, furtum domesticum laqueo puniebantur; ceterae fere omnes furti species pro judicis arbitrio, capite vel poenis perpetuis aut temporalibus luebantur; solum furtum simplex nunquam erat capitale. V. GUYOT ap. MERLIN, *Rép.* v. *Vol*, S. II. § II. Poenarum diversitas pro reorum conditione commendatur *E. d. L.* VI. 10.

2°. Ut doceret, cavendum esse, ne securitati civium noceant parùm definita crimina, incertaeve poenae.

Utroque loco invenias nonnulla ex iis placitis, quae ab humanitatis in jure crim. patronis praecipua habita sunt, e. g. quò meliores et feliciores sint populi, eò minus gravibus poenis opus esse; impunitatem magis esse timendam, quam levitatem poenae, etc. *Mensurâ* etiam *poenarum* opus esse ait; qualem verò hanc cupiat, non exponit, nisi quod optandum censeat in suo quodque genere puniri peccatum. Meritò autem laudatur hoc placitum: »dum rite instituta sit mensura poenarum, levia supplicia perinde valere ad absterrendum, atque gravia" (1). Haec omnia humanitatis consilia democratiae et monarchiae maxime congrua existimat.

Alibi libertatem sive securitatem civium periclitari docet, si temere puniantur ea crimina, de quibus non facile constat, utrùm commissa fuerint, necne, aut quid ad ea referendum sit; qualia sunt haereseos, magiae, nefandae Veneris, sacrilegii; de quibus disserens BECCARIA, ex ipsorum naturâ repetit placita sua de abrogandis legibus tunc vigentibus (2). De tormentis non est quod dicamus, quippe quae improbârit quidem A. N., nihil autem novi ad argumenta jam prolata adtu-

(1) *E. d. L.* VI. 9 rubr. »Que la sévérité des peines tient à la forme du gouvernement," quod VI. 15 exemplo Romanorum confirmat. v. porro VI. 11, 16; XII. 4. Egregie VI. 12: »L'expérience a fait remarquer que dans les pays, où les peines sont douces, l'esprit du citoyen en est frappé comme il l'est ailleurs par les grandes." *Lenia* autem supplicia nuncupat Francis et Anglis tunc usitata; *saeva*, qualia de Turcis et Japanensibus narrat XII. 17.

(2) *E. d. L.* XII. 1, 6—12, 16—18. coll. BECCARIÂ, *Traité*, § 24, 26, 36, 37. VOLTAIRE, *Comm. sur* BECC., § 3—9, 15, 23.

lerit, quum etiam ex industrià hàc de re disputare nollet (1).

Postquam verò opus *de Ing. Legum* Europeam consecutum esset famam, BECCARIAE sectatores in Franciâ et Italiâ avide arripuêre ejusmodi locos, ubi Scriptoris effata de legibus crim. adparerent accommodata ad suas sententias; et hinc evenit, ut magnam ejus auctoritatem agnoscerent humanitatis patroni, e. g. BRISSOT DE WARVILLE, adversarium eum haberent antiquae jurisprudentiae vindices, inprimis saevus ille JCtus MUYART DE VOUGLANS (2).

Laudari etiam solitus est MONTESQUIVIUS ab iis, qui in compluribus Europae regionibus operam navârunt emendandis legibus positivis crim.; plerùmque tamen postpositus fuit BECCARIAE, ex cujus opusculo potissimùm normam sibi petebant. Id maxime obvium est in mandato CATHARINAE II ad novi cod. crim. Russici confectores, nec non in egregio specimine (1790) quod Coetui constituenti Francico oblatum est, et deliberationibus de eo habitis. Hâc opportunitate item MONTESQUIVII auctoritate nitebantur populares oratores, ut processum per juratores apud Anglos receptum commendarent (3).

---

(1) Quaecumque de quaestione leguntur *E. d. L.* VI. 17; *Traité des délits*, § 12, et multò plura, jam exposnit nostras D. JONCKTIJS, *De Pijnbank wedersproken en bematigt* (Rotterdam 1651).

(2) Notissimum est BRISSOTI opus: *Théorie des lois criminelles*; minus cognitum MUYARTI, cui tit. *Réfutation des principes sur les lois crim. exposés dans le livre de l'E. d. L.* (Paris 1783), ubi BECCARIAM quoque adgreditur. Cf. QUÉRARD, *La France litéraire*, VI, pag. 51 (*a*). GOCKINGA, diss., pag. 71.

(3) V. *Instr. adressée par l'Impératrice*, etc., § 33 coll. *E. d. L.* XI. 3. GOCKINGA, pag. 86. Porro *Decretum coetûs const.*, 22 Maji 1790 in *Choix*, II, pag. 335. DUPORT, *Rapport*, 27 Nov. 1790, ib. IV,

Unus autem, quantùm equidem novi, de emendando jure crim. scriptor MONTESQUIVII sententias cum BECCARIAE placitis comparans, eorum discrimen vidit et illas prae hisce commendavit. De quo pauca addenda.

Quum enim (1770) de emendandis legibus consilia agitare coepisset Hispaniae rex CAROLUS III, JCto DE LARDIZÁBAL primùm curam commisit, immensa legum Veterum volumina (*las siete partidas*, *el fuero juzgo*, *el fuero real*, *los ordinamientos*, etc.) in unum concinnumque corpus redigendi, cui labori postquam per decennium operam navâsset, sententias suas de jure crim. in specie exposuit, quarum nonnullae tantùm aliquam efficaciam habuêre, nunquam verò ex ejus monitis codex poenalis conditus (1). Apud hunc scriptorem complura occurrunt placita MONTESQUIVII (quem saepius laudat) e. g. de arbitrio judicum coarctando; de quatuor delictorum classibus, prout laedant religionem, mores, tranquillitatem publicam vel privatam; de furti poenis; de impunitatis periculis; de infamiâ ad absterrendos maleficos efficacissimâ (2). Aliquando a BECCA-

---

pag. 244. LEPELLETIER DE S. FARGEAU, *Rapport*, Majo 1791, ib. V, pag. 327. DUPORT, *Discours*, 31 Maji, ib. pag. 371.

(1) *Discurso sobre las penas, contrahido à las leyes crim. de España para facilitar su reforma, por* D. MANUEL DE LARDIZÁBAL Y URIBE (Madrid 1782), *prologo*, pag. *xi*; *intr.* § 23—25.

(2) *Discurso*, cap. II. § 4, 5, 7, 9, 13, 25, 29 sqq.; cap. V. S. IV, § 2. Paucis locis verbotenus descripsit N. A. verba, licet eum non nominatim citet; uti cap. II. § 14, 28 coll. *E. d. L.* VI. 2. LARDIZÀBAL, cap. V. S. II, § 3 memorato Imp. MAURICII juramento, se regnante neminem capite punitum iri, addit: »Se olvidò questo Imperador de que no llevaba in vano la spada," quae verba de eodem exemplo v. *E. d. L.* VI. 21 extr. Item § 4: »La pena de muerte es come un remedio de la sociedad enferma," v. *E. d. L.* XII. 4 extr.

RIÀ aut BRISSOTO dissentiens, ut tueatur hoc illudve placitum legibus vigentibus sancitum, MONTESQUIVII auctoritate nititur, e. g. ubi de poenâ capitis servandâ disputat, deque poenarum diversitate pro variâ delinquentium conditione (1).

Nec mirum est, hunc JCtum plus, quam reliquos, MONTESQUIVIO tribuisse. Namque et ipse historicis studiis juris incubuerat, et abhorrebat a temere invehendis legibus, quae moribus et doctrinae in foris receptae plane repugnarent. De jure constituendo ita quum ageret, jure constituto imprimis nitebatur est; et quoties mitigationem aliquam legis crim. suaderet, prae reliquis illud urgebat, eam convenire ingenio antiquorum codicum et consuetudinum, quae in Hispaniâ diu viguerant. Sic poenas mutilationis, capitales qualificatas, confiscationis, ipsamque quaestionem rejiciendas esse tunc demum statuit, quum certum sit, non solùm philosophiam et humanitatem, sed et veterem jurisprudentiam Hispanicam ab iis abhorrere (2). Ex quibus omnibus patet, hujus regionis legibus emendandis magno usui esse

---

(1) *Discurso*, cap. V. S. II, § 5, 16; cap. IV. S. II, § 56 sqq. Ibidem tamen § 60 fatetur, iniquius sibi videri, si ob idem delictum honestior mulctâ, vilior capite puniatur.

(2) *Discurso*, cap. V. S. II, § 22; S. III, § 1; S. V, § 10—13, ubi de non confiscandis bonis citatur SANCTII regis Aragoniensis lex 5, tit. 31, P. 7 (*de las 7 partidas*). Legem PHILIPPI II de tormentis rarius adhibendis (1570), quae est L. 2, tit. 1, l. 6 (*fuero juzgo*) laudat cap. V. S. VI, § 6. Ibidem § 30 gaudet, quod prorsus ignota fuerit Hispanis quaestio per tormenta, donec (1348) probationis subsidiariae loco eam permisit ALFONSUS XI. Alibi jus constitutum tuetur circa fora ecclesiastica et poenam haereseos capitalem; cap. II, § 6; cap. IV, S. II, § 2.

potuisse MONTESQUIVII effata de poenis. Verùm, si excipias singularia edicta ad abusûs quosdam tollendos, inde a CAROLO III hâc in re parùm praestitêre Hispani. Haecce igitur mittamus.

Hodie autem et in legum codicibus et in doctorum libris, tantis progressibus insignis fuit juris crim. philosophia, ut, hujus ratione, auctoritas MONTESQUIVII exigua esse debeat.

B.

Quae porro de Montesquiviani Operis efficaciâ, ratione Germaniae JCtorum, dicenda habeo, ad meram theoriam pertinent; verùm is hodie est *Historicae scholae* flos, eamque salutarem habuit vim in juris positivi cognitionem, ut omnino hujus loci esse videatur exquirere, numquid Auctori N. cum eâ commune sit.

Historicorum autem ducem et principem cl. HUGONEM si audiamus, ea medio praec. saec. in scholis Germaniae juridicis discordia obtinebat inter studiosos philosophiae moralis et juris positivi, ut neutra doctorum pars recte caperet, quis Operis *de Ingenio Legum* esse posset usus, aliis (e. g. VON JUSTI) per meras doctrinas *a priori* rem confici putantibus, dum aliis A. N. non satis eruditus videretur (1). Melius rem perspexit supra memoratus in theologiâ eximius vir MICHAËLIS,

---

(1) HUGO, *Lehrb. d. Naturrechts* (*C. Cursus* II, ed. 4, Berolini 1819), § 24 sqq. *Lehrb. d. Gesch. d. Röm. R. seit* JUSTINIAN (*C. C.* VI, ed. 2, Berolini 1818), § 342: »In Deutschland fand man ihn gleich anfangs nicht gelehrt genug, und so wurde ihm von Manchen das Werk des Parlaments-Raths GOGUET, *De l'origine des lois*, 1758, vorgezogen, und Dieser fand mehr Nachahmer, als MONTESQUIEU selbst."

qui judicabat, disciplinarum politicarum eam esse conditionem, ut in academiis haberi oporteret lectiones *de prudentiâ legislatorum* (1). Verùm successu caruit hoc consilium. Neque MONTESQUIVIUM vero pretio aestimare didicêre Germani, priusquam sub finem saec. docuerant quidam JCti, non de jure, quod adesse deberet, sed de jure recepto philosophandum esse, si in scholis docentes et discentes legibus ferendis prudentiaeque politicae prodesse cupiant. Dixerat KANTIUS, eam conditionem societatis, quâ jus naturale (doctrinae formâ) et jus cujusque gentis positivum distingui oporteret, *provisoriam* esse, nec *peremtoriae* locum fore, antequam plene conveniat usus cum rationis dictamine. Idem asserens HUGO, spretis de jure univ. theoriis, conditionem illam provisoriam unice illustrare constituit (2).

Quum autem saec. praec. et ipse, et qui cum eo faciebant, nullum fere, Francicum inprimis, scriptorem nôssent, qui simile quid, ac MONTESQUIVIUS, aliquo cum successu tentâsset, haud mirum accidit, Nostrum impense laudatum fuisse ab historicae scholae auctoribus. Ex quibus praesertim J. G. SCHLOSSER monet, *redeundum esse* ad operis *de Ingenio Legum* placita, spretis recentioribus plerisque Francis et FILANGERIO, quem ait,

---

(1) MICHAËLIS, *Raisonnement ü. d. Prot. Univers.* (Gött. 1770), I, pag. 234, cit. ap. HUG. *Naturr.* § 25.

(2) KANT, *Elem. metaph. juris*, P. I. C. I, § 6 et 9; C. II. S. I, § 5. Idem *Introd. in doctr. juris*, § B, docet, ut respondeatur quaestioni: »quid justum?" merâ ratione; »quid juris?" merâ experientiâ utendum esse. V. HUGO, *Jurist. Encyclop.* (C. C. I, ed. 6, Berolini 1820), § 26; coll. *Lehrb. d. Naturr.*, § 160, 172, 173, 266, 330.

parùm illud intellexisse et inepte aliam sibi rationem quaesivisse (1).

Quod ad ipsa cl. HUGONIS placita adtinet, licet MONTESQUIVIUS quoque potius duxerit juris historiam illustrare, quam novum juris univ. systema condere, non tamen puto, eum talia de jure naturali sensisse, ut illud tanquam peculiaris doctrinae objectum admittendum esse negaverit. Id satis patere videtur e locis, quos supra (c. I, § 3, n°. 2) contuli ad librum I Operis explicandum. Mire autem cum ejusdem libri cap. 2 quadrant, quae enunciat cl. HUGO de desiderio juris et societatis apud homines primaevos, deque auctoritate juris recepti apud singulas gentes *aeque ac si* rationis dictamen et absolute verum esset (2).

Porro, quod ad leges ferendas, quum id esset caput et finis MONTESQUIVII doctrinae, ut jura moribus et

(1) J. G. SCHLOSSER, *Briefe ü. d. Gesetzgebung überhaupt, u. d. Entwurf d. Pr. Gesetzb. insbesondere* (Francofurti a. M. 1789), Ep. I, pag. 9, 61 sqq., 70: »FILANGIERI, dieser wortreiche Italiener, der mit so ungleichen Kräften gegen MONTESQUIEU zu kämpfen sich anmaszt." Ep. IV, pag. 330 notâ, opus *de Ing. Legum* vocat: »Ein Werk, das alle Könige und Fürsten, Staatsminister, Regierungen, Richter, politische Philosophen, und sonderlich alle Gesetzgeber nie aus der Hand legen sollten." Quam plene SCHLOSSERO adsentiretur HUGO, discitur ex hujus judicio de libro cit. in *Gött. Anzeigen*, 1789, n°. 110, iterum ed. in *Beyträge zur Civilist. Bücherkenntniss* (Berolini 1828), I, pag. 107 sqq. Ejusdem in MONTESQUIVII laudem loci sunt ib. pag. 130; *C. C.* VI, l. c. et *Lehrb. d. Naturr.*, § 32, ubi tamen dolet, eum scripsisse »mehr für die grosse Welt als für die Leute vom Fache."

(1) Cum *B. d. L.* I. cf. *Encycl.*, § 27; *Naturr.*, § 6, 30, 85 sqq., 280. SCHLOSSER, Ep. II, pag. 93 sqq. At nusquam eam de integro jure naturali protulit sententiam MONTESQUIVIUS, quae est *Encycl.*, § 256: »Gefährlich war diese Lehre nicht sowohl, als vielmehr unnütz."

consuetudini conveniant, nec temere jus pro legumlatoris lubitu mutaretur, auctoritatem ejus saepe adhibuêre historici JCti, quum de codicum confectione ageretur; necnon ubi refellendi essent illi, qui omnia juris feudalis vestigia e novo juris syntagmate removenda esse urgerent (1). Ceterùm ita meriti sunt de juris positivi scientiâ, inprimis Romani et Germanici, ut exinde haec disciplina incrementa jam ceperit tanta, quanta ne praevidere quidem potuerat MONTESQUIVIUS.

De juris publici doctrinâ in alia omnia eunt historici illi. Nam etsi cl. HUGO laudet Montesquivianam libertatis definitionem (ut illâ voce intelligatur jurium securitas), deinde ait, ex hoc ipso placito sequi, vix quicquam in populi conditionem efficere formam regiminis, cui multùm adeo tribuit Noster. Vanam quoque esse pronunciavit potestatum in imperio distinctionem (2). In hisce igitur neutiquam consentiunt. Hinc longe severius de Nostro judicârunt illi, qui, item historiâ duce, doctrinam politicam instaurare conati sunt ab omni parte adversantes omnibus, quae conversionis Francicae fautores laudarent, quâ de re supra saepius observavimus, A. N. perperam cum popularibus illis scriptoribus confusum fuisse ab HALLERO aliisque (3).

---

(1) HUGO, *Naturr.*, § 34, 153 sqq., 275. SCHLOSSER, Ep. I, p. 10, 12 sqq.; Ep. II, pag. 114 sqq., 124; Ep. IV, pag. 331. Adversus codicum confectionem citat *E. d. L.* III. 2, XIX. 14 et XXVI passim. Nostrum item de nobilitate in monarchiis dicentem laudat SCHLOSSER, *Fünfter Brief ü. d. Entw. d. Pr. Gesetzb.* (Francof. a. M. 1790), p. 111.

(2) HUGO, *Naturr.*, § 142, 149, 151, 186 sqq., 380, 384.

(3) Non omnem MONTESQUIVIO laudem abnegat cl. LEO, *Studien u. Skizzen zu einer Naturlehre d. Staats*, Abth. I (Halae 1833); attamen minimi aestimandum putat illum ex iis, qui de civitatis naturâ

Lenius contra de ipso judicium tulêre, qui hist. scholae partim adversantes, partim inter extrema medium iter quaerentes, nuperrime disciplinas pol. illustrârunt, e. g. GANS, ANCILLON, VON RAUMER, WEITZEL, quibus adnumerandus LERMINIER, Francicus scriptor quidem, sed Germanorum doctrinis imbutus. Horum autem quum supra mentio facta sit, non est quod amplius de MONTESQUIVII in Germanos JCtos efficaciâ dicamus.

C.

Quod si quaeratur, ecqua hodie etiam Operis *de Ing. Legum* utilitas sit, procul dubio sic respondendum arbitror;

Primùm, tantas fuisse libri laudes et efficaciam, ut summi momenti hodieque esse debeat unicuique disciplinarum pol. historiam discenti aut tradenti;

Porro, historiam legum Veterum et recentiorum ita illustrasse MONTESQUIVIUM, ut ejus opus praecipuis, unde cognoscatur, fontibus accensendus sit;

Denique, multa ei inesse praecepta et consilia, quae adhuc post immutatam adeo Europae conditionem utilissima esse possint legumlatoribus et imperantibus. Universe enim recte dicere videntur, qui moneant, hujus aetatis homines, etsi patribus avisque nequiores

---

scripsêre, quam ob rem vituperatur a cl. GANS in *Berl. Jahrb.*, Nov. 1833, n°. 88, pag. 704, 707. Locus HALLERI est *Restaur.* I, pag. 6 et 56 sqq. de quo J. V. MÜLLER, *Ep. ad fam.* 305, dd. 24 Sept. 1808 scripsit (in *Werke*, ed. Tübingae 1814, v. XVIII, pag. 135): »Gegen MONTESQUIEU scheint mir mein Freund etwas zu hart. — Er ist der Uebergang zum Neuen, das ist wahr, aber das Neueste hätte er nie für haltbar erkannt," etc. Dura porro judicia v. in *Geschichte der Staatsveränd.*, I. pag. 34 sqq. apud BILDERDIJK, *Gesch. d. Vad*, I, pag. 145; *de Mensch* (Amst. 1808), pag. 208.

fortasse non sint, minime immemores esse debere beneficiorum, quae a saec. praec. praestantibus viris acceperint, nec spernenda esse multa eximia, quae exinde ad nos pervenêre (1). Quibus monitis ut lubenter obsequamur, multùm e lecto MONTESQUIVII opere proficiemus.

---

(1) Quid fieri soleat, et simul, a quo cavendum sit, docet J. N. *Etudes législatives,* ch. VI, pag. 81: »Notre siècle est la palinodie du siècle dernier. La plûpart des axiomes philosophiques, qu'on proclama avec un éclat, qui tenait presque du triomphe, ont fait place à des axiomes d'une nature tout à fait différente. Peu s'en faut, que la scholastique et la féodalité, le couvent et la stérilité, le mysticisme et le puritanisme ne redeviennent en honneur. — Les arts, les modes mêmes doivent répudier le bon goût, pour imiter ce qu'on était bien aise d'avoir oublié," etc.

TANTUM.

THESES.

I.

E lecto Opere *de Ingenio Legum* patet, nullius disciplinae, quae ad legum scientiam conferret, studio, tanto cum ardore MONTESQUIVIUM incubuisse, quanto historiae; quam e genuinis fontibus investigavit, puta monumentis singularum rerum gestarum coaetaneis, antiquis legum codicibus edictisque principum.

II.

Critici illi, qui in MONTESQUIVII magno Opere studium invenisse se putârunt, universe commendandi hanc illamve regiminis formam, parùm observasse videntur ipsius verba, in praef: »Je demande une grâce, que je crains qu'on ne m'accorde pas; c'est de ne pas juger par la lecture d'un moment, d'un travail de vingt années; *d'approuver ou de condamner le livre entier, et non pas quelques phrases.* Si l'on veut chercher le dessein de l'auteur, on ne le peut bien découvrir, que dans le dessein de l'ouvrage."

III.

Uti meritò BODINUS et GROTIUS juris et humanitatis placita in politicis disciplinis instaurasse dicuntur, ita MONTESQUIVIUS, quae potuit, contulit, ut easdem illas melius etiam excultas e scholâ in hominum societatem et rerum gestionem transferret.

IV.

Id igitur egit, ut eos, quorum incuriâ illo aevo pessum irent res Europae, moneret, servanda et colenda esse majorum instituta; id au-

tem fieri non posse, nisi juris universalis principia, rectae rationis et humanioris philosophiae praecepta in usum conferrentur.

V.

Quum verò, versus conversionum Americae et Franciae tempus, populares maxime scriptores de rebus politicis non dubitârint MONTESQUIVIO fidem habere circa omnia, quae ex Encyclopaedistarum ingenio adseruisset, cetera quae pronunciaverat, obsoleta et inutilia judicantes, accidit, ut universum Operis propositum neglectum fuerit, et eventus spem auctoris fefellerit.

VI.

MONTESQUIVIUS in institutis publicis, quae laudat, commendatve, semper quidem utilitatis rationem praecipuam habet, numquam verò ita, ut quorundam commodum societatis commodo praeferendum ducat, nec ut injusti quicquam commendet utilitatis causâ.

VII.

Statuta, quibus mercium ab alterius populi civibus allatarum invectio prohibetur, opibus populi prohibentis prodesse nequeunt, nisi e lege talionis fiant, in detrimentum ejus nationis, quae pridem pari prohibitione mercaturam adflixerit, scilicet ut ea ita cogatur ad leges prohibitorias suas revocandas.

VIII.

Illud, quod physiocratiae fautores ante omnia expetendum putabant, scilicet ut maximo pretio constarent agrorum proventûs, vilissimo reliquae merces et operae, nequâquam effici potest, sive per leges prohibitorias, sive libertate industriae concessâ.

IX.

Adsentior BENTHAMO (*des peines et des récompenses*, vol. I, pag. 73): »Une loi (pénale) inflexible, une loi qui n'aurait égard ni au sexe, ni à l'âge, ni à la fortune, ni au rang, ni à l'éducation, ni aux préjugés moraux ou religieux des individus, serait doublement vicieuse, comme inefficace ou comme tyrannique.” Itaque, quum lex omnia haec discrimina praevidere non possit, in poenis decernendis quam plurimum judicis arbitrio est relinquendum.

X.

Circa certamen singulare ita videtur opinandum, ut, si de eo silet lex

poenalis, poenas caedis vulnerumve ordinarias applicare non liceat neci aut vulneribus eo casu illatis.

XI.

Et injustum et noxium fuisset, nisi successu caruisset, consilium quoddam NAPOLEONTIS, statuendi scilicet, ne patroni causarum honoraria acciperent, nisi quorum causa victrix fuisset (de quo nonnulla habet LAS CASES, *Esprit du Mémorial de S. Hélène*, v. III, pag. 210).

XII.

Summo jure causarum patroni remonstrârunt contra statuta in Franciâ e. g. saepissime condita, quibus juberentur singulis instrumentis aut responsis suis subscribere, quanti constarent.

XIII.

Ratio, quâ Pandectas lectu faciliores et utiliores reddere tentavit POTHIER, praeferenda est *Palingenesi* pandectarum, qualem CUJACIUS primùm docuit, ut nimirùm e fragmentis eniterentur viri docti rursus colligere, truncos plerùmque, JCtorum libros.

XIV.

Quum verò ad singulorum fragmentorum sententiam bene intelligendam multùm faciat, ut ordinis, quem TRIBONIANUS adhibendum censuit, habeatur ratio; etiam post illa tentamina desiderari videtur commentarius, qui in singulis locis exhibendis, hunc ordinem sequatur, iis tantùm additis, quae ad indicandum eorum nexum faciant.

XV.

Lex 13, § ult. D. *de his, qui notantur infamiâ*, et L. 2 D. *stellionatûs*, licet utraque ex ULPIANI operibus excerpta sit, apte conciliari nequeunt.

XVI.

Jure Francico, marito non licet alienare ea mobilia dotis, quae neque fungibilia sunt, neque marito tradita ad rationem Art. 1551 C. C.

XVII.

In favorem ejus, qui criminis raptûs reus est, jure Francico currere incipit praescriptio a die, quo ad majorem aetatem pervenit persona rapta.

XVIII.

Bonorum securitati egregie prospectum est novo Codice Belgico, sublatâ illâ hypothecâ, quae ex jure Francico sponte praediis tutorum et maritorum inhaeret.

XIX.

Neque jure Francico, neque novo Belgico, maritus, ut uxorem cogat ad secum habitandum, aliis uti potest remediis, nisi alimentis negandis et liberis ab ipsâ sejungendis.

XX.

Emtio venditio mercium eo consilio contracta, ut venditor nunquam merces ipsas praestet, sed alteruter liberetur solvendo tanto, quanto auctum minutumve fuerit pretium mercium a die venditionis ad solutionis diem, contractibus aleatoriis adnumeranda est.

XXI.

Si per absentiam unius pluriumve heredum omissae fuerint formae hereditatis dividundae praescriptae artt. 1120 ad 1124, C. Civ. B. tamen irrita non erit divisio.

XXII.

Quamvis legislator Art. 506, al. 2, C. Civ. Belg. ejus mentionem non fecerit, tamen is, cui ex ipsius petitione curator datus est, eo non impediri videtur, quominus uxorem ducat, dum pareat iis, quae jubentur Artt. 95 et 206.

AMICO

JANO HEEMSKERK, AB. F.

SUMMOS IN JURE ET LITERIS HONORES CAPESSENTI.

Egerit eximiis quid MONTESQUIVIUS ausis
  Quum *Legum Ingenium* pandere nisus erat;
Quâque potens virtute sibi subjecerit orbem
  Martia gens, quantis exciderit que bonis;
Utque tuos, Oriens, simulans se tradere mores
  In Gallos lepidis luserit ille jocis,
Illustrare, tibi prae cunctis contigit! — Ipse
  Coelitus adspirans respiciebat opus.
Nec tibi suffecit, pretiosa per otia, Musis
  Sacrificasse; Themis sed tibi culta simul.
Ac coeptum bene cessit opus; nec te sibi Diva
  Difficilem, Phoebo conciliante, dedit.
Quae tu per multos meruisti strenuus annos
  Praemia, jam cedunt parta labore tuo.

Agmen ovat laetum, laudes tibi, JANE! ferentûm
  Doctoris nomen quum tibi jure datur.
Sic, ut coepisti, perge indefessus eundo,
  Ut longe pateat qui modo partus honos.
Sis decori Patriae; felicia tempora vivas;
  Grataque contingant munera opesque tibi!
Nec fugiens aetas dissolvat foedera nostra,
  Det, precor, Omnipotens omnia fausta tibi!

H. A. HARTOGH.

J. U. D.

ERRATA.

P. I.	Pag. 3	reg. 16	*pro*	vocaretur	*lege*	vocabatur.
	" 8	notâ 2	"	1754	"	1758.
	" 14	reg. 24	"	mane	"	ubi mane.
	" 23	" ult.	"	cognitnm	"	cognitum.
	" 24	" 11	"	habeudi	"	habendi.
	" 30	notâ 1	"	propriae	"	propria.
	" 48	reg.ult.	"	in-	"	in.
	" 51	n. 2	"	commel es	"	comme les.
	" 64	reg. 5	"	eruditas	"	eruditos.
	"102	" ult.	"	Germanicos	"	Germanicas.
P. II.	" 15	" 2	"	rationcs	"	rationes.
	" 16	" 2	*deleatur* ;			
	" 18	" 11	*pro*	Ictorum	"	JCtorum.
	" 45	" 15	"	imaginatudi	"	imaginandi.
	" 60	" 5	"	quorum	"	quarum.
	"134	" 20	"	centiori	"	recentior.



